AN. LXXXIV SERIES VII FASC. IV. AN. 1959

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

PRAESIDENTE
E.mo Card. **Arcadio Larraona**

MODERANTE
FLORENTIO ROMITA, a Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Promotor. Fidei S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Secretario Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Secret. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Pro-Datario — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Secr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII
ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 674.395 — C. C. P. 1-4270
OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 673.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - XII - 1959.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

LITTERAE APOSTOLICAE « *Boni Pastoris* » die 22 Februarii 1959. (Adn. ANDREAS M. DESKUR) . . . . . Pag. 547

S. Congregatio Consistorialis:

Decretum de Sacrorum Liminum visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda, die 28 Februarii 1959. (Adn. A. PUGLIESE) . » 564

S. Congregatio de Religiosis:

Decretum de Religiosis servitio militari adstrictis. (Adn. D. M. HUOT) » 577

IURISPRUDENTIA S. ROMANÆ ROTÆ

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, *Ponente. De simulatione et metu reventiali.* (Sententia diei 27 febr. 1956) . . . . . » 591

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, *Ponente. De metu: eius effectus perduratio.* (Sententia diei 23 jan. 1957) . . . . . » 605

Coram R. P. D. BOLELAO FILIPIAK, *Ponente. Nullitatis matrimonii. Ex capite amentiae et ob simulationem consensus ex parte viri.* (Sententia definitiva diei 14 febr. 1958) . . . . . » 612

Coram R. P. D. AURELIO SABATTANI, *Ponente. Mediolanen. Nullitatis matrimonii. Ex impotentia.* (Sententia definitiva diei 10 apr. 1959) . . . . . » 616

STUDIA ET CONSULTATIONES

SPIAZZI R. I patti Lateranensi alla luce della dottrina e della storia dei rapporti tra Chiesa e Stato . . . . . » 637

BENDER L. Filii legitimi. . . . . Pag. 650
OESTERLE G. De applicatione S. Sacrificii Missae pro achatholicis et excommunicatis . . . . . » 657
DE SIMONE O. Honorariae praelaturae instauratione peracta . . » 671

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

Sentenza del Tribunale di Roma 27-7-1959 (Pres. Facchiano-Estensore Niro) Libori c/ Istituto S. Dorotea. . . . . » 685
Massime dalle sentenze della S. Corte di Cassazione . . . » 697

RECENSIONES

A. RETIF. *Il messaggio della fede in Cristo.* Ed. Romane, 1958. (A. GREGNANIN) . . . . . » 703
L'attività della S. Sede nel 1958. Roma, Tip. Poliglotta Vaticana. (I. PARISELLA) . . . . . « 704
G. D'ERCOLE, *Gesù legislatore e l'Ordinamento giuridico della sua Chiesa nei Vangeli.* Roma 1957. (I. PARISELLA) . . . . » 706
J. BÁNK *Connubia canonica.* Romae, Ed. Herder. 1959. (J. MARCONE) » 707

CHRONICA

Acta Ioannis PP. XXIII. . . . . » 708
Acta Pii PP. XII. . . . . » 720
Acta SS. Congregationum . . . . . » 723
Index generalis. Vol. LXXXIV . . . . . » 727
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS



Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1959_84_4

LITTERAE APOSTOLICAE

BONI PASTORIS

Pontificium consilium rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae novis legibus constituitur.

1. Boni Pastoris universi gregis Dominici munus, quod, Summus Pontifex inaugurati, « Nobis peculiarissimo modo cordi esse » asseveravimus (cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. L, p. 886), Nos iubet cum animum ad quamvis Ecclesiae necessitatem numquam non referre, tum praecipua sollicitudine ea expendere omnia, quae, progrediente civili cultu hac aetate invecta, non parvum momentum habent ad spiritualem hominum vitam; in quibus radiophonium, televisio, cinematographeum merito numerantur.

2. Iam Decessor Noster imm. mem. Pius PP. XII, gravibus editis Encyclicis Litteris sermonibusque habitis, non semel Christifideles omnesque recta mente praeditos homines de haud levi monuit officio, quo obligarentur, ut mirandis hisce technicae artis inventis uterentur secundum providentis Dei consilium atque modo dignitati hominis congruente, cui perficiendo oportere illa deservire.

3. Cuius rei gratia eidem Decessori Nostro « curae fuit hac in Romana Curia peculiare Consilium constituere » (*Acta Ap. Sedis*, vol. XLXIX, p. 768), cui mandavit, ut iussa et praeceptiones diligenter exsequeretur, quae, in iisdem Encyclicis Litteris, a verbis « *Miranda prorsus* » incipientibus proposita, fidem, mores ac disciplinam ecclesiasticam in re radiophonica, televisifica, cinematographica attingerent (*ibid.*, p. 805).

4. Mentem igitur Nostram in graves quaestiones, quae e praedictis artibus technicis ad voces imaginesque communicandis institutis exsistunt circa mores publicos, cogitatorum propagationem et institutionem iuventutis, intendentes — quibus inventis animi solent tantopere moveri — exhortationes et praecepta eiusdem Decessoris Nostri resumere et confirmare

cupimus atque instrumenta illa, a benignissimo Deo hominibus impertita, pro viribus certa efficere adiumenta virtutis et probitatis. Neminem enim latet, quantum res cinematographica vel radiophonica vel televisifica possit ad altiorem humanitatis cultum, ad veri nominis artem et maxime ad veritatem propagandam pervulgandamque.

5. Cum Venetiarum ageremus Patriarcham, homines arti cinematographicae pro munere deditos, interdum circa Nos congregatos paterno animo sumus cohortati, atque, arcano providentis Dei consilio ad Petrianum Solium evecti, benevolentiam Nostram rei radiophonicae, televisificae et cinematographicae cum officii onere praepositis testati sumus (cfr. *Epistulam* n. 117 ab Officio publicis Ecclesiae negotiis expediendis die IV mensis Novembris anno MDCCCLVIII ad Praesidem Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae accurandae datam), neque deinceps ullam opportunam omisimus occasionem eos commonendi, ut munere suo ad christianae nobilitatis rationem eidem praestitutam fungerentur.

Attamen non sine animi maerore pericula morumque detrimenta significare debemus, quae haud raro e propositis taeniolis cinematographicis et radiophonicis sonis imaginibusque televisificis propagatis oriuntur, quibus mores christiani ipsaque dignitas humana pessumdentur.

7. Itaque omnes, in quos huiusmodi spectaculorum et auditionum ratio recidit, patris animo etiam atque etiam hortamur, ut legibus conscientiae rectae et integrae obsequantur, quemadmodum eos addecet, qui gravissimo tenentur officio alios educandi.

8. Simul vero Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis iterum mandamus, ut invigilent et experta cum sollicitudine variis consulant apostolatus rationibus, quae praedictis Litteris Encyclicis, quarum priora verba « *Miranda prorsus* », suadentur, nominatim vero Nationum Officiis, in quaque regione eo consilio institutis, ut, quidquid in re cinematographica, radiophonica, televisifica a catholicis agitur, dirigant rectoque ordine componant (cfr. *Acta Ap Sedis*, vol. XLIX, p.

783-4). Quibus ex inceptis plurimum tribuimus iis, quae ad formandos mores et ad cultum promovendum pertinent, veluti ostentio taeniolarum cinematographicarum ac de iis inita disceptatio, quae eximia arte praestent morumque commendatione.

9. Cum autem natura ipsa eiusmodi instrumentorum ad voces imaginesque propagandas aptorum postulet — etiam ad Sedis Apostolicae ius et auctoritatem quod attinet —, ut in rebus dirigendis agendisque unitas servetur, Nos, *motu proprio*, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, has normas statuimus, quibus praedictum Consilium Pontificium rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositum in munere obeundo obstringatur, iis derogantes regulis, quae eiusdem Consilii legibus ad praesens usque tempus vigentibus continentur (cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XLVI, p. 783-4).

10. Nos igitur decernimus ac definimus, ut Pontificium Consilium rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositum sit firmum ac stabile institutum ut Sedis Apostolicae Officium, cui id propositum sit, ut varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones examinet, suo foveat adiumento ac dirigat secundum mandata normasque, Encyclicis Litteris, quibus a verbis « *Miranda prorsus* » initium, proposita et secundum alia Sedis Apostolicae praescripta in posterum edenda.

11. Huius deinde Pontificii Consilii est: cognoscere, quo propendeant et quo modo reapse peragantur cinematographicarum imaginum series, auditiones radiophonicae, spectacula televisifica; dirigere et incrementis augere operam Coetuum catholicorum ex omni natione atque Officiorum ecclesiasticorum singulis in nationibus constitutorum, rem cinematographicam, radiophonicam ac televisificam curae habentium, praesertim quod attinet ad taeniolas cinematographicas pro morum ratione in genera describendas, ad radiophonicas sonorum ac televisificas imaginum transmissiones religioni propagandae destinatas, et ad conformandos Christifideles, maxime iuven-

tutem, ad christianum conscientiae officium, quo circa spectacula devinciantur (cfr. *Acta Ap. Sedis.*, vol. XLIX, p. 780 et ssq.); denique communicare cum Sedis Apostolicae Congregationibus et Officiis, cum Coetibus Episcopalibus singulisque Ordinariis locorum de iis, quae ad multiplices ac difficiles quaestiones huiusmodi pertinent.

12. Sacrae autem Romanae Curiae Congregationes ceteraque Sedis Apostolicae Officia hoc Consilium rogent sententiam, antequam aliquid decernant iubeantque vel quidlibet agendi potestatem faciant, quod ad rem cinematographicam, radiophonicam ac televisificam attineat, atque idem Consilium de praeceptionibus, quas pro sua cuiusque auctoritate dederint, certius reddant.

13. Pontificio Consilio rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praeposito moderatur Praeses, qui per sex mensium intervalla de eiusdem Consilii opera referat.

14. Eiusdem vero Consilii participes sunt: Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum Sancti Officii, Consistorialis, pro Ecclesia Orientali, Concilii, de Religiosis, de Propaganda Fide, de Seminariis studiorumque Universitatibus atque Substitutus Officii publicis Ecclesiae negotiis expediendis; cui alii praeter hos ad beneplacitum Nostrum ascribi poterunt.

15. Praesidi in rebus gerendis Vir ab actis Consilii aliique praesto erunt Officiales (cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XLIII, appendix fasciculi 8, p. [3]).

16. Consilio praeterea auxilium praebebit coetus Consultorum a Sede Apostolica electorum, qui apostolatus in re cinematographica, radiophonica ac televisifica exercendi in primis periti sint.

17. Eidem Consilio cura Cinematothecae Vaticanae creditur, quam ideo instruere volumus, ut artis cinematographicae specimina, quae Sedis Apostolicae intersint, in unum congerantur.

18. Denique in Urbe Vaticana sedem habeat constitutam idem Consilium, quod Officio publicis Ecclesiae negotiis accurandis aggregatur.

19. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

20. Cuius Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositi inceptis et operibus ex animo Nos iuvat benedicere, qui praeterito iam tempore frugiferam eius nativitatem valde probavimus.

21. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Februarii, anno MDCCCCLVIIII, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PP. XXIII

(*A.A.S.*, vol. 57, p. 183-187).

ADNOTATIONES

Litterae Apostolicae, quarum initium est a verbis « *Boni Pastoris* », haud immerito omnes sibi attentos fecerunt.

Die 22 februarii datae et die 12 martii — post Audientiam a Sanctissimo D. N. Joanne PP. XXIII Praesidi Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae et televisificae praepositi, concessam — publici iuris factae, in omnibus ephemeridibus, in radiophonicis televisificisque auditionibus late commenta-

tae fuerunt in omnibus Europae nec non Americae, Asiae et Australiae longinquis regionibus.

Istius acritatis animorum ratio facile invenitur omnes circumstantias attendendo. Sunt enim Litterae Apostolicae, de quibus agitur, primum hucusque solemne monumentum litterarum, a primordiis praesentis Pontificatus editum, Curiam Romanam eiusque internam ordinationem spectans, atque aliquid novi in eiusdem Curiae ordinationem adducens. Materia quoque documenti, qua « Pontificium Consilium rei Cinematographicae, Radiophonicae et Televisificae praepositum novis legibus constituitur », omnium interest, quia problemata quae ad spectacula attinent summa gaudent nostro tempore popularitate.

Perscrutandae sunt itaque nobis accurate et attente Litterarum harum rationes et sententiae.

Textus examen generalis.

In primis animadvertendum est, Litteras Apostolicas, a verbis « *Boni Pastoris* » initium habentes, *motu proprio* datas (n. 9) ac ab ipso Pontifice Maximo sottoscriptas, et nihilo minus — quoad initium et finem Litterarum attinet (nn. 1 et 21) — in forma « Brevi » redactas esse.

Hujus formae eligendae ratio fortasse interpretari videtur, substantialem finem Litterarum considerando quem Legislator his verbis declarat « Nos igitur decernimus ac definimus, ut Pontificium Consilium... sit firmum ac stabile institutum ut Sedis Apostolicae Officium » (n. 10). Ad hanc enim definitivam institutionem nulla melius quam illa forma adoptari poterat qua continuo declaratur « ad perpetuam memoriam », « perpetuum in modum », etc., leges latas esse.

Textus Litterarum duobus partibus componitur.

Prima earum (nn. 1-8) dici potest « exhortativa » quia in ea praesertim pastorales rationes, ad apostolatum in re cinematographica, radiophonica et televisifica exercendum, exponuntur atque Episcopi et ii, in quos huiusmodi spectaculorum et auditionum ratio recidit, hortantur ad Ecclesiae incitamenta obsequenda.

Altera pars (nn. 9-21) cui maxime competit « dispositiva » appellari, leges continet quibus novum Curiae Romanae Officium id est Consilium Pontificium rei cinematographicae, radiophonicae ac Televisificae praepositum, in posterum est moderandum.

Totus ergo Litterraum ordo sequenti schemate proponitur:

LITTERAE APOSTOLICAE « BONI PASTORIS »

Pars exhortativa

I. Introductio (quomodo res, de qua agitur, ad Pontificatus rationem pertinet (n. 1).

II. De Praedecessoris tali in re cura (nn. 2-3).

III. De Pontificis de artibus technicis, ad voces imaginesque communicandas institutis, doctrina (nn. 4-8).
   1. De istarum artium dignitate (n. 4).
   2. De Pontificis in easdem cura praeterito tempore (n. 5).
   3. De detrimentis qua ex eisdem artibus oriuntur (n. 6).
   4. Exhortationes ad:
      a) spectaculorum et auditionum artifices (n. 7).
      b) Episcopos orbis terrarum (n. 8).

Pars dispositiva

I. De Pontificii Consilii rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositi, novis lagibus constitutione (nn. 9-12).
   1. De novarum legum causa (n. 9).
   2. De Consilii forma iuridica (n. 10).
   3. De iis quae ad Consilii propriam auctoritatem pertinent (n. 11).
   4. De Consilii cum aliis Romanae Curiae Congregationibus et Officiis communicatione.

II. Quomodo Pontificium Consilium componatur ?
   1. De Praeside (n. 13).
   2. De Consilii Participibus (n. 14).
   3. De Consilii Secretario aliisque Officialibus (n. 15).
   4. De Consultoribus (n. 16).

III. De cura Cinematothecae Vaticanae (n. 17).

IV. De Consilii Officio publicis Ecclesiae negotiis accurandis aggregatione (n. 18).

V. Conclusio:
   1. incepta et opera Consilii a Pontifice benedicuntur (n. 20).
   2. dispositiones praedictae executioni consueta forma demandantur (nn. 19,21).

In partem « exhortativam » expositio.

Formam futuri Pontificatus describens ipsa Suae incoronationis die, S.mus D. N. Joannes PP. XXIII sese nihil aliud quam Bonum Pastorem esse velle asseveravit. Quid hoc nomen sibi significet pulcherrime ab initio Litterarum Apostolicarum, de quibus agimus, exponit Se asseverans perpetuo « animum ad quamvis Ecclesiae necessitatem nunquam non referre » compulsum esse. Ex ea Patris Communis in universum gregem Dominicum sollicitudine admirabili, cura oritur de re cinemotographica, radiophonica et televisifica componenda, quae res si gravitate materiae ceteris sacri ministeri muneribus locum cedit, necessitate temporum urgente multa alia praecedit.

Est enim quaestio de re cinematoraphica, radiophonica ac televisifica cum spirituali hominum nostrae aetatis vita quam maxime coniuncta, sicut e paene innumeris documentis ecclesiasticis patet [1].

Inter tot monumenta Pontifex expresse tontummodo acta Praedecessoris Sui Pii PP. XII, felicis recordationis, evocat (n. 2) et praesertim duo, id est Litteras Encyclicas, quarum initium a verbis « *Miranda prorsus* » est, et peculiaris Consilii ad hanc rem perscrutandam in Romana Curia institutionem (n. 3) quia duo haec ad Litterarum, de quibus agitur, finem directe pertinebant. Quid sibi autem subaudiat: « in Romana Curia... Consilium constituere », videbimus cum de charactere iuridico Consilii proprio in loco inquisiverimus.

Summi momenti apparet Pontificis Maximi declaratio qua non solum de praefatarum technicarum artium natura dignitateque perspicua declarantur sed etiam explicitis verbis totum Ecclesiae praecedens Magisterium hac in re resumitur et confirmatur: « exhortationes et praecepta eiusdem Decessoris Nostri resumere et confirmare cupimus » (n. 4).

Postquam Pontifex suam in hac re operam, cum Venetiarum Patriarcham ageret, recordaverit (n. 5). — Eiusque sermones illo tempore habiti assidua commemoratione penes omnes permanere ma-

---

[1] Circa Litterarum Ecclesiae monumenta, de his quaestionibus agentia, sequentia typis edita consulenda sunt: *Le Cinéma dans l'enseignement de l'Eglise*, Sanctae Sedis Cura Editum, typis Polyglottis Vaticanis a. 1955; Baragli Henricus S. J., *Cinema Cattolico, Documenti della Santa Sede sul Cinema*, typis « Civiltà Cattolica » a. 1958; *Table retrospective des Actes du Pape Pie XII concernant le Cinéma, la Radio et la Télévision* (e Commentario officiali Pontificii Consilii rem Cinematographicam, Radiophonicam et Televisificam moderantis, typis Polyglottis Vaticanis, vol. VII, n. 55 bis, p. 6-32).

nifestum est [2] — moerorem animi Sui ostendit morum detrimenta denuntiando quae nostra aetate de spectaculis a cinematographia, radiophonia et televisione propositis haud raro eveniunt (n. 6), graviter omnes, in quos ratio huiusmodi spectaculorum incidit, admonendo (n. 7).

Talis admonitio, paternae bonitatis plena sed disciplinam quoque christianam morum firmiter tenens, omnes sibi attentos fecerat quia ora concludit ceterorum qui subdole propagare iniquam sententiam, novissime disciplinam Ecclesiae indulgentiorem erga « artium — quam aiunt — et divulgationis libertatem » factam esse, coeperunt.

Pars « exhortativa » mandato ad Episcopos, de praeceptis in hac re implendo quae praedictis Litteris Encyclicis (« *Miranda prorsus* ») data sunt, concluditur.

Huius iterandi mandati ratio minime inveniri videtur in aliqua Pastorum segnitia in praeceptis exequendis, cum omnibus pateat in pene omnibus nationibus Episcopos studiosissime ardenterque Litteras Encyclicas, quarum priora verba « *Miranda prorsus* », excepisse, ac ad earum adhortationes explendas convolasse; ratio igitur vera alibi quaeri debet. Patet utique aliquid novi hac paragrapho antea datis praescriptis adiunctum esse.

Si e circumstantiis publicae rationis de Legislatoris mente diiudicare dicet, sequentem sententiam ferre audemus: ex omnibus in Litteris Encyclicis « *Miranda prorsus* » expositis, Officia Ecclesiastica de re cinematographica, radiophonica ac televisifica, in unaquaque natione instituta eorumque activitatem totius operis christianae renovationis spectaculorum caput angulare esse, late patet. Officiorum istorum in sexaginta fere nationibus institutio non paucas quaestiones de eorumdem iuridica essentia et, in varia a catholicis incepta, auctoritate suscitavit. Praesertim gravis quaestio orta est utrum haec verba praedictarum Litterarum Encyclicarum: « ac praeterea catholicorum omnia incepta de re cinematographica ad probum finem dirigi necesse est » [3], eo sensu intelligi debeant, directionis munus uni tantummodo Officio, inspectionis ratione pro tota natione constituto, competere, an non. Manifestum esse ducimus a responsione huic quaestioni danda tota ecclesiastica apostolatus in hac re structura pendere.

---

[2] Cfr. *Recueil d'allocutions, prononcées par Son Eminence le Cardinal Roncalli, Patriarche de Venise, à l'occasion des Festival Cinématographiques de Venise* (e Commentario Officiali Pontificii Consilii rem Cinemat., Radioph. ac Telev. moderantis, typis Polyglottis Vaticanis, vol. VIII, n. 56, p. 3-20).

[3] Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XLIX, p. 783.

Propterea minime nobis videtur inconveniens, quod Summus Legislator, primum litterarum monumentum in re nostra publici iuris faciens (id est nostras Litteras Apostolicas), bonum iudicavit definitionem auctoritatis Officiorum Ecclesiasticorum in omni natione constitutorum de re cinematographica, radiophonica et televisifica, expressis verbis, ita ut ex Encyclicis Litteris « *Miranda prorsus* » intelligi deberet, declarare, et hoc in istis verbis fecit: « ...nationum Officiis, in quaque regione eo Consilio institutis, ut *quidquid* in re cinematographica, radiophonica, televisifica a catholicis agitur, *dirigant* rectoque ordine *componant* » (n. 8).

Ita vigilantis Pastoris paterna sollicitudine gravis illa quaestio solvitur, unitas efficacitasque catholicae actionis salvatur [4].

De novis legibus, quibus Pontificium Consilium rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositum constituitur.

Et *primum* quidem de novarum legum causa.

Confirmata in unaquaque natione directionis inceptorum, ad spectacula secundum normam catholicae doctrinae reformanda spectantium, unitate, Legislator moderaminis unitatem quam « ipsa eiusmodi instrumentorum ad voces imaginesque propagandas aptorum natura postulat », in hisce rebus dirinendis agendisque in Curia quoque Romana statuere velle declarat (n. 9).

Postulat enim ipsa natura cinematographicae, radiophonicae ac televisificae technicae artis unitatem moderaminis, « quo ad Sanctae Sedis ius et auctoritatem » attinet, propter duo:

I. Propter complexitatem quaestionum, quae ex istis technicis artibus oriuntur. Nam tales quaestiones rem non solum oeconomicam — propter ingentia expensa, sed utique politicam — propter legum singulis in nationibus varietatem, socialem — propter turbam munere fungentium, nec non psychologicam et mortalem — propter diversitatem vis et effectus quos in varios spectaculorum auditorumque coetus exercent, involvunt.

Complexitatem ista multi sunt qui ignorant, praesumptuose de nostris artibus technicis disserere non dubitantes, exempli gratia normas quoad televisifica spectacula sananda attinet proponentes, unius solummodo stationis transmittentis spectacula co-

---

[4] Similem interpretationem capitis, quod n. 8° concluditur, dat R. D. P. Henricus Baragli in *Strumenti audiovisivi e strutture Ecclesiastiche* (e « *Civiltà Cattolica* », a. 110, vol. II, cfr. p. 120)

gnoscendo, dum in orbe terrarum duo millia stationum televisificarum adlaborent.

Idem accidit si de aspectu morali pellicularum cinematographicarum iudicatur. Scientificis experimentis et diuturna experientia demonstratur multos « films », pro innocuos respectu puerorum iuvenumque habitos repellendos esse, alios a nonnullis, qui seipsos censores instituerunt, leviter, indocte ac inscite uti immorales conclamatos, sine animarum periculo admittendos.

II. Propter instantiam actionis quam apostolatus in hac re indiget. Sunt enim catholicorum opera, in hac eadem re, haud raro nimis tarde incepta et, saepe, — relate ad omnes qui ad sana principia publicae moralitatis evertenda sese scienter vel ignoranter foedere iunxerunt — pauca et debilia. Multis in nationibus sola Ecclesia Catholica civili potestate aliisque confessionibus negligentibus vel, quod peius est, arcte obstantibus, regulam morum spectaculis imponere satagit, ut dignitas personae humanae salvetur. Propterea ad legis divinae naturalisque victoriam solummodo, divina gratia iuvante, ordinata unitas omnium virium catholicorum conferre potest.

Cum res ita se habeat, clarius effulget Legislatoris sapientia qua unum Officium ad hanc rem competenter moderandam in Curia Romana instituitur.

Hoc loco pauca verba de prioribus legibus, quibus Consilium Pontificium r. c. r. et t. p. usque ad praesens regebatur, attente lector, nobis ducere indulge! Leges istae, praesentibus Litteris Apostolicis derogatae (n. 9), minime satis aptae erant ad unitatem actionis de qua super locuti sumus perfecte efficaciterque tutam reddendam, sed potius prudenter ac gradatim novam ordinationem, perpetuum in modum statuendam, praeparabant. Consilii enim priora « Statuta » etiamsi bis ampliata et aucta [5] — nondum illi auctoritatem conferebant ad illam necessariam unitatem omnium conatuum operumque catholicorum efficiendam.

Re vera priores leges, die 16 decembris 1954 ad Consilii activitatem informandam statutae, iam ius Consilio « ad activitates catholicorum in re cinematographica, radiophonica et televisifica dirigendum et mandata in hac materia a Suprema Ecclesiastica

[5] Quoad historiam Pontificii Consilii attinet legendum est: Canals Salvatore, *Quaestiones cinematographicae* (in « *Apollinaris* » n. 3-4, 1955, p. 298-316) et *Les corps consultatifs de la Commission Pontificale pour le Cinéma, la Radio et la Télévision et leur activité jusqu'à la publication de la « Boni Pastoris »* (e commentario officiali Pontificii Consilii, vol. VIII, n. 58, p. 23-28), iterum edito in « *L'Osservatore Romano* », 5 Julii 1959.

Auctoritate lata exsequendum » dabant [6]; imo Summus Pontifex pluries Consilio potestatem delegavit ad mandata statuenda [7] et eidem Consilio, praescripta et mandata Litterarum Encyclicarum, initium a verbis « *Miranda prorsus* » habentium, ad rem diligenter deducere commisit [8].

Attamen Consilium adhuc mediis sufficientibus ad proprium finem consequendum carebat, propter duo:

I. Priores leges de quibus supra, nec potestatem ceterorum Sanctae Sedis Ministeriorum in hac re limitabant nec de illorum cooperandi officio cum Pontificio Consilio quicquam praecise statuebant; declarabant solummodo S. Sedis Ministeria opinionem Consilii requirere posse [9]. Notandum nobis est pene omnibus Curiae Romanae Ministeriis et Palatinis Officiis sub aliquo aspectu in cinematographica, radiophonica et televisiva agere ius esse [10].

II. Neque ius Consilio praecise dabatur ad Officia, de re cinematographica, radiophonica et televisifica in quaque natione constituta moderanda et Consociationes Internationales de eadem re dirigendas, sed solummodo ad fovendas et instruendas cum eisdem communicando et nuntios ad invicem mittendo.

Perutile ergo visum est Consilio novam formam iuridicam largiri ut omnis defectus eliminetur et potius Consilium vitale organum Sanctae Sedis ad proprium finem consequendum efficeretur. Id proprie Litterae Apostolicae, de quibus agitur, statuerunt.

Secundum quidem de Consilii forma iuridica.

Canone 7 C. I. C. declaratur nomine Sanctae Sedis — Praeter Romanum Pontificem — « Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expediri solet » venisse. Communis canonistarum interpretatio est quod Pontificiae Commissiones seu Consilia si firme ac stabiliter instituantur ad Ecclesiae Universae negotia expedienda in aliqua materia earum auctoritati assignata, utique nomine Sanctae Sedis venire ac Curiae Romanae veluti partes exstare censendae sunt [11].

---

[6] *Acta Ap. Sedis*, vol. XLVI, p. 783-784, cfr. art. 3.

[7] Cfr. e. g. Epistula ad Episcopos Italiae a Praeside Pontificii Consilii die 1 junii 1953 « iussu Pontificis Maximi » missa.

[8] *Acta Ap. Sedis*, vol. XLIX, p. 805.

[9] *Acta Ap. Sedis*, vol. XLVI, p. 783, cfr. art. 4.

[10] cfr. Deskur Andrea, *La Chiesa e i mezzi audiovisivi* (e « Studi Cattolici », a. III, n. 12, p. 19-23).

[11] Larraona Arcadio, *De SS. Congregationum, Tribunalium et Officiorum constitutione et interna ordinatione prout Const.* « Sapienti Consilio formata »

Patet igitur verbo « Officia » non solum illa sex Officia comprehendi quae canonibus 264-264 enumerantur sed etiam alia, subsequenter instituta, etiamsi characterem collegialem (commissio, consilium) habeant, duobus conditionibus, sine quibus non, positis:

1) ut permanenter sint instituta;

2) ut auctoritate sint praedita ad negotia Ecclesiae Universalis expedienda [12].

Videtur ergo quod, secundum illa quae superius declarantur principia, sentiendum est etiam de verbis quibus Legislator statuit: « ut Pontificium Consilium rei cinematographicae, radiophonicae ac televisificae praepositum sit firmum ac stabile institutum ut Sedis Apostolicae Officium » (n. 10); et ita quidem nostri Pontificii Consilii natura sequenti modo definiri potest: *persona moralis collegialis, in Romana Curia subsistens, ad negotia quae, in re cinematographica, radiophonica et televisifica, ad auctoritatem Sanctae Sedis attinent expedienda.*

Praeterea, Consilium Officio publicis Ecclesiae negotiis accurandis *aggregatur* (n. 18).

Alii alia de huius vocabuli quod significari solet sentiunt. Certum tamen evadit quod *aggregatio* quodammodo unitatem cum aliquo efficere videtur, quae nec est *incorporatio,* nec *subiectio.* Unum solummodo exemplum *aggregationis* « de iure » alicuius Officii alio in Curia Romana invenimus [13]. « De facto » tamen Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum eodem Officio de publicis Ecclesiae negotiis aggregari videntur.

In Codice « aggregatio » intelligitur communicatio privilegiorum inter aliquam personam moralem, privilegiis gratiisque praeditam, et aliam eiusdem naturae (cfr. can. 720-725).

Cum e contextu Litterarum Apostolicarum Consilium nostrum Officium Sanctae Sedis et non parem alterius Officii esse certo constet, aggregationis istius essentia prout sequitur explicari potest:

Res a Consilio r. c. r. et t. p. tractandae saepe, praesertim quod ad radiophoniam et televisionem attinet, celeritate festina-

---

Romae, 1951, p. 87; *Congregations Romaines* (e « Dictionnaire du Droit Canonique », V, col. 212); Coronata, *Institutiones* I. C., ed. 2 a, n. 338, p. 400; Gommarus Michiels, *Normae Generales,* vol. I, ed. 2 a (1949), p. 219; Ciprotti Pio, *Lezioni di diritto canonico,* Padova, 1943, n. 287, p. 282; Maroto, *Institutiones Iuris Canonici,* vol. II, p. 237.

[12] Facile invenitur quasdam Pontificias Commissiones istas conditiones perfecte adimplere sicut: Pontificium Consilium de re biblica, Pontificia Commissio ad codicem I. C. authentice interpretandum et Pontificium Consilium « pro Russia ».

[13] Cfr. Motu proprio « *Quam sollicite* » die 21 decembris 1934 datum.

tioneque actorum indigent et insuper cum meis quae a « Sectione negotiis ordinariis vacanti » tractantur haud raro sunt connexae. Ideo conveniens erat ut Consilium eiusque officiales variis commodis quibus officiales Officii de publicis Ecclesiae negotiis fruuntur aliquomodo partecipentur, videlicet in nuntiis Summo Pontifici quotidie mittendis. Eiusque mandati quamprimum exsequendis, in cursoribus epistolarum publicarum utendis, in moderna officiorum apparatione et ceteris. Quod ita de « aggregatione » in casu sit sentiendum, etiam ex eo demonstrari videtur verba legis de aggregatione et de propriae sedis Consilii in Civitate Vaticana institutione continuata et inter se coniuncta esse (n. 18).

Tertium quidem de iis quae ad Consilii propriam auctoritatem pertinent.

Certum ducimus nullam Pontificio Consilio potestatem legiferam concreditam esse, sicut clare e littera legis patet (... *dirigere, secundum mandata normasque Encyclicis Litteris, quibus a verbis « Miranda prorsus » initium proposita et secundum alia Sedis Apostolicae praescripta in posterum edenda*, n. 10). Et igitur propria Consilii auctoritas est potius *executiva*.

Quae ad executivam potestatem pertinent n. 11 Litterarum proponuntur et istis verbis resumi possunt: *dirigere et incrementis augere opera catholicorum in omni natione*.

Minime tamen inter Consilium et Episcopos controversiarum quarumdam ocasio, quoad operum catholicorum directionem, est pertimenda, quia Consilium ea solummodo *quae ad ius ed auctoritatem Sanctae Sedis pertinent* in rebus cinematographicis, radiophonicis et televisificis tractabit.

Quartum quidem de Consilii cum variis Sanctae Sedis Ministeriis communicatione.

Animadvertendum est Litteris Apostolicis, quarum initium est a verbis « *Boni Pastoris* », nullius Ministerii Sanctae Sedis potestatem commutatam esse. Omnes igitur Congregationes ceteraque Sanctae Sedis Officia etiam ab eis quae ed rem cinematographicam, radiophonicam ac televisificam attinet, si propria auctoritate funguntur, minime sunt alienae. Ideo plurima quae ad executivae potestatis exercitium pertinent simul a Pontificio Consilio et ab alio Sanctae Sedis competenti ministerio in re c. r. et t. dirigi possunt.

Attamen, bonae ordinationis causa, Consilio nostro strictum ius a Pontifice Maximo tributum est ut a Romanae Curiae Congregationibus ceterisque Sedis Apostolicae Officiis rogetur in omnibus et singulis quae in re cinematographica, radiophonica ac televisifica pro sua auctoritate sibi decernere proponerent, et, post-

quam decreverunt, Consilium de sententia lata quam primum certius faciant (n. 12).

Ex verbis *antequam aliquid decernant iubeantque vel quidlibet agendi potestatem faciant* desumitur Legislatorem voluntatem satis exprimere, in omnibus negotiis, etiamsi de casibus singularibus et de obiterdictis agatur, plene propriae auctoritati alicuius S. Sedis Organi obnoxiis, si circa res cinematographicas, radiophonicas et televisificas vertant, prius mentem Pontificii Consilii petendam esse quam ferendam sententiam.

Hoc ius Pontificio Consilio, pro communi bono, a Summo Pontifice Litteris Apostolicis, de quibus sermo, concessum, minime aliis S. Sedis Congregationibus Officiisque nimis gravare potest quia:

1. Ipsum Consilium e Praelatis superioribus SS. Congregationum Officiorumque S. Sedis praecipue componitur qui utique Consilii nativitatem dirigunt.

2. Ipsorum SS. Congregationum Officiorumque S. Sedis maximae erit commoditatis ad competens Officium omni tempore recurrere posse.

Quomodo Pontificium Consilium componatur?

Secundum novae ordinationis normam Consilium Pontificium r. c. r. ac t. p. sequentibus partibus componitur:

— Praeside.
— Consilii participibus seu sodalibus.
— Secretario aliisque Officialibus.
— Consultoribus.

Praeses moderatur Consilium. Dicitur *moderatur,* non solum praeest, ad clarius eius auctoritatem statuendam. Praesidis est *per sex mensium intervalla de eiusdem Consilii opera referre* (n. 13). Cui referre debeat plane non declaratur. Pontifici Maximo, Qui est summum caput omnium Officiorum Romanae Curiae? Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis, cuius Officio Consilium aggregatur? Consilii participibus, qui sunt Praelati Superiores Ministerum S. Sedis in hac materia competentium? Mihi videntur tres istae solutiones minime sese ad invicem excludere, immo perutiliter compleri, nullam difficultatem enim perspicio si omnes quibus interest auctoritates de Consilii laboribus certiores reddantur.

De iure Consilii sunt participes Praelati superiores octo Sanctae Sedis Ministeriorum quorum praesertim Consilii activitas interest (n. 14). Hic nobis notare placet, Consilium, de quo nobis sermo, primum inter Pontificia Consilia fuisse ex Assessoribus et Secretariis

SS. Congregationum compositum (id est ab anno 1952). Hodie iam alia Consilia Pontificia tali modo composita exstant [14].

Particibus Consilii ipso iure designatis alii adscribi poterunt « ad beneplacitum Pontificis » scilicet per spatium temporis diuturnitate Pontificatus concluso. Ad praesens duo sunt Consilii Participes hac modo a SS.mo D. N. Papa Joanne XXIII designati: exc.mus princeps Carolus Pacelli, Consiliarius Status Civitatis Vaticanae et ill.mus comes Henricus Petrus Galeazzi, delegatus Pontificii Consilii Civitati Vaticanae administrandae moderandaeque.

Vir ab Actis seu Secretarius, Curiae Romanae consuetudini obtemperando, Praesidi in adiutorium assistentiamque datur. Eiusdem Praesidi praesto etiam alii officiales erunt; nihil de eorum gradibus expresse in Litteris Apostolicis invenimus sed efficacius verbis nota marginalis (n. 15), a Legislatore opportune hoc in loco inserta, loquitur, ad ordinationem omnibus Curiae Romanae Officiis communem remittens qua gradus Officialium designatur, et eo modo clare indicando quod Consilii Pontificii Officiales similibus gradibus quam in aliis Officiis distingui debent.

De Consultoribus quorum coetus Consilio in auxilium datur (n. 16) amplius loqui minime necesse evadit cum in supra citato [15] studio de eis late sermo factus sit.

Manet ergo sola de Cinemathotecae Vaticanae institutione disquisitio cuius cura Consilio concreditur (n. 17). Disputatur inter legisperitos utrum verbis *quam ideo instituere volumus* Summus Pontifex mentem ostendit praesentibus Litteris eam instituere velle an potius in proxime futuro tempore specifico actu iuridico instituturum esse.

Videtur proximae institutionis sententiam magis probabilem esse quia minime Sanctae Sedis mos est obiterdictis verbis nova instituere. Ergo Litteris Apostolicis solummodo ius Pontificii Consilii datur ad curam de proxime instituenda Cinemathoteca habendam.

Nefas esset praesentes breves adnotationes ad memorandas istas Litteras Apostolicas, initium a verbis « Boni Pastoris » habentes, concludere sine brevi de maturitate tempestivitateque legum quas percurrimus consideratione.

Sapientia enim Pontificum creata et aucta, saeculorum experientia instructa, Romana Curia perutile in manu Vicarii Christi

---

[14] Id est Consilia Pontificia « pro America Latina » et « Antepraeparatoria pro Concilio Oecumenico ».

[15] cfr. *Les corps consultatifs...* v. in nota (5) citatum.

instrumentum evadit ad Ecclesiae aedificationem dilatationemque, conditione semel posita de eius vigilanti ad temporum et animorum necessitates accomodatione.

Sicut Clemens VIII, P. M., novis terrarum partibus inventis ad Fidem propagandam Commissionem peculiarem instituit ad novas gentes Christi lucrifaciendas, ita (si vetera novis comparare licet) SS.mus D. N. Joannes XXIII — Pii XII imm. m. vestigia sectando — postquam *miranda prorsus technicae artis inventa* novum in aethere mundum, cuius imagines et soni animos sibi subicere non intermittunt, effecerunt, novam structuram in Curia mediis efficacibus providere non haesitavit ut in illo novo mundo, adhuc ex parte in tenebris paganitatis sedente, lux orietur illa quae ad Christum ducit oboedientia et pace.

Andreas M. Deskur
Subsecretarius Pontificii Consilii
rei Cinematographicae, Radiophonicae ac Televisificae praepositi

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE SACRORUM LIMINUM VISITATIONE A VICARIIS CASTRENSIBUS PERAGENDA.

Ad Sacra Limina properare, *non sine Spiritus Sancti instinctu*, universi locorum Ordinarii, priscis iam ab aevis, iussi sunt, quatenus iisdem licuit licebitque Ei, testante S. Gregorio PP. I, ex cuius largitate sunt Pastores gratiarum solvere actiones, Apostolorum Principum Petri et Pauli sepulcra, in *regia Urbe Roma*, tamquam fidei petram et sacerdotalis unitatis fontem, venerari, atque tandem de grege sibi commisso Romano Pontifici relationem facere.

Utrumque enim, et visitare Limina et relationem facere, in ipsa Ecclesiae natura et constitutione, ut notum est, nititur atque e *sacro Petri Primatu necessario fluit*.

Quandoquidem Vicarios Castrenses inter Praelatos Ordinarios accensendos esse neminem latet; iurisdictione enim ordinaria, personali, speciali, licet cumulativa, ad normam Instructionis De Vicariis Castrensibus « *Sollemne semper* », pollent et, quod maioris interest, unius Ordinarii Castrensis — Romani scilicet Pontificis — veri dicendi sunt Vicarii.

Dominici gregis portio, Vicariorum Castrensium iurisdictioni obnoxia, genere et copia vere conspicua censenda est, quippe quae iuvenibus redundet hominibus, Patriae decori, eidemque tutandae mancipatis et disciplinae rigore ad id instructis vel instruendis, quorum mores vitaeque instituta catholicae rei servandae ac in unaquaque natione fovendae maxime conferre solent.

De eorum animarum aeterna salute apprime sollicitam Apostolicam Sedem fuisse, plurimi canonice erecti in Orbe Vicariatus Castrenses atque haud rara, novissimis praesertim hisce annis, edita documenta perlucide testantur.

Imo, de copiarum spirituali condicione deque vitae ratione ut certior redderetur, Romanus Pontifex Pius PP. XII, fe. re., decrevit tertio quoque anno S. Congregationi Consistoriali de actis et de statu Vicariatus Castrensis relationem per Vicarios Castrenses exhibendam esse, atque Formulam in relatione conficienda e novo exaratam, servandam praescripsit.

Nunc autem, SS.mus Dominus Noster Ioannes, Divina Pro-

videntia PP. XXIII, ne quidquam omnino Illum lateret earum rerum quas ad gloriam Dei augendam et ad animarum salutem procurandam necessario Eundem scire ac intelligere oportet; confisus insuper Vicarios Castrenses, si Summi Romanae Ecclesiae Pastoris complexu recreati eiusdemque colloquio confortati, alacriores instructioresque ad suos regendos greges perrecturos, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, derogando, quatenus opus sit, omnibus in re antea praescriptis, praesenti Consistoriali Decreto decernit ac mandat:

1. Omnes Vicarii Castrenses, in universo orbe Apostolica auctoritate constituti, ad Urbem, Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli Limina veneraturi, accedant et Romano Pontifici se sistant, de toto eorum pastorali munere rationem reddentes et vicissim mandata Apostolica recipientes.

2. Visitationis opus expleant anno quo locorum Ordinarii eiusdem nationis, cuius Vicarii Castrenses constituti sunt, ad normam can. 341, § 1, 2, C. I. C. tenentur.

3. Licet Vicarius Castrensis dioecesim quandam simul regat, huiusmodi obligationi una eademque Visitatione satisfacere valet.

4. Vicarius Castrensis praedictae obligationi per se ipse satisfacere debet, aut, ex iustis causis, a S. Sede probandis, per Episcoporum Auxiliarem vel Cappellanum Maiorem.

5. Relatio super statu Vicariatus Castrensis singulis quinquenniis fiat, eodem, scilicet, anno quo Sacrorum Liminum Visitatio peragi debet.

6. Si autem annus, pro Visitatione peragenda simulque Relatione exhibenda assignatus, inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito Officii regimine, Vicarius Castrensis, pro ea vice, a Visitatione facienda et ab exhibenda Relatione abstinere potest.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 28 mensis Februarii anno 1959.

+ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. + S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. tit. Serdicensis, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 51, pp. 272-274).

ADNOTATIONES

1. « Inter praecipua officia, quae Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis iuxta SS. Patrum et canonum statuta incumbunt illud profecto est accensendum, quod ipsi sacra Apostolorum Limina visitare, eaque occasione Romano Pontifici obsequium ac oboedientiam praestare, et rationem reddere de pastoralis muneris implemento, deque omnibus, quae ad Ecclesiarum suarum statum, et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque ipsis concreditarum salutem pertinent. Quod quidem officium, unitatis et communionis cum Apostolica Sede quaedam veluti *tessera,* ex iis iuribus sponte fluit, quae Romano Pontifici vi primatus, quo ex divina institutione in universam pollet Ecclesiam, inhaerere compertum est » [1].

Inde patet origo iuridica visitationis ad Limina, quam tota antiquitas adgnovit et de gravioribus Ecclesiae negotiis Romano Pontifici, ad unitatem Ecclesiae et ad communionem cum Capite eiusdem servandam, referre non omisit [2], quaeque ex ipsa natura Primatus necessario fluit; patetque eiusdem finis multiplex, ut nempe servetur unitas Fidei et coniunctio cum Romano Pontifice, accendatur Episcoporum zelus, et Pastori Supremo status ecclesiarum facilius innotescat [3]. Inde patent quoque commoda, quae ex ipsa visitatione ad Limina ipsis Pastoribus necnon et ovibus omnibus derivant. Optimum enim et valde consequentissimum est, si ad Caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibuscumque domini referant sacerdotes [4]. Nam ita fit ut Romanus Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita est, Praesulum Romam adventantium opera et adiutorio, ubique locorum christiani gregis necessitates adgnoscere, spiritualium ovium morbos intelligere, et aptiora remedia adhibere valeat, nec quidquam ipsum lateat earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad religionem propagandam, ad animarum bonum promovendum, necessario eum scire oportet. Plura sane negotia per epistolam possunt expediri; nemo tamen inficias iverit, plura esse alia, quae melius nequeant pertractari, quam si os ad os adloquamur. Accedit etiam, quaedam aliquando occurrere, quae secreti fidem ita postulant, ut ea scripto mandare periculosum sit. Quare Benedictus XIII in Synodo Romana a. 1725 Episcopos monet « ne ita passim personali ab hac

---

[1] S. C. de Prop. Fide, Instr. *Inter praecipua,* 1 iun. 1877 (*Collectanea,* n. 1472).

[2] Sipos, *Enchiridion Iuris Canonici,* Pecs, 1940, p. 260.

[3] Huguenin, *Expositio Methodica Iuris Canonici,* Parisiis, 1867, p. 204.

[4] Conc. Sardicensis *Ep. Synod. ad Julium I.*

visitatione se dispensent, monita hic multa et sane proficua, eorumdem SS. Ecclesiae Principum patrocinio, et Summi Pontificis vivae vocis oraculo percepturi, quae scriptis aliquando nequeunt consignari » [5]. Quae omnia iam in proaemio Decreti Consistorialis *Ad Sacra Limina*, quod commentis hornatur, fere iisdem verbis recognoscuntur. Romanus enim Pontifex, confisus Vicarios Castrenses, quos sollemniter et delicate Vicarios *suos*, nempe unius Ordinarii universalis ideoque et castrensis, Papae, proclamat, « si Summi Romanae Ecclesiae Pastoris complexu recreati eiusdemque colloquio confortati, alacriores instructioresque ad suos regendos greges (iuxta diversa erectionis et constitutionis Decreta) perrecturos », eosdem non secus ac coeteros residentiales per Orbem Episcopos, hac lege adstringi voluit.

2. Historica vero huius Episcoporum omnium obligationis origo et adfirmatio invenitur sive in Synodis Provincialibus, quae secundum antiquos canones bis in anno habendae erant [6], sive in usu et consuetudine populi christiani frequenter ad Limina Apostolorum accedendi.

Nam Romanus Pontifex unicus erat Metropolita in maxima parte Italiae; ideo Episcopi omnes, qui metropolitico quoque iure Ei devinciebantur, Romam convenire debebant saltem semel quotannis, scil. ad synodum vernam vel autumnalem, aut in festis quae diebus 22 febr. 29 iun. et in die natali Papae celebrabantur, exceptis Siculis qui ex vetere consuetudine quolibet triennio, quod ad quinquennium S. Gregorius Magnus produxit [7], tres mittebant, qui cunctorum vices repraesentarent. Qua occasione et Limina Apostolorum omnes visitabant et de statu suae Ecclesiae unusquisque in synodo referebat [8]. Sed etiam alii Episcopi viciniores, qui iure metropolitico Romano Pontifici non ligabantur, sive peregrinantes sive ad synodum Romanam accedentes, nulla lege scripta compellente, sed potius ex laudabili consuetudine et ad invitationem Romani ipsius Pontificis, Romam petebant, Limina

---

[5] Instr. *Inter praecipua*, cit.

[6] Cfr. Conc. Nicaenum I (325), c. 5; Conc. Chalcedonense (415), c. 19.

[7] « Novit dilectio tua, hanc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres et episcopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia convenirent; sed nos eorum labori consulentes constituisse, ut suam huc semel in quinquennio praesentiam exhiberent » (S. Gregorius M., Ep. 22 lib. 7 Tom. 2: ad Cyprianum Diaconum; apud A. Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum, I*, Romae, 1866, p. 9).

[8] Chelodi-Ciprotti, *Ius Canonicum de Personis*, Vicetiae, 1492, p. 299.

Apostolorum veneraturi, obsequium et reverentiam Papae exhibituri et informationem de statu suae dioecesis facturi [9].

3. In Synodo Romana a. 743 sancitum est principium ut quicumque Episcopus a Romano Pontifice *ordinatus* statis temporibus, quae in chirographo ab eo subscripto definiebantur, ad Urbem accedere deberet. Quod principium legalem obligationem statuens in Decreto Gratiani [10] hac forma exprimitur: « Iuxta Sanctorum Patrum et Canonum instituta omnes Episcopi, qui huius Apostolicae Sedis ordinationi subiacent, qui propinqui sunt annue circa Idus Maii Sanctorum Principum Apostolorum Petri et Pauli Liminibus praesententur omni occasione seposita. Qui vero de longinquo, iuxta chirographum suum impleant. Qui autem huius constitutionis contemptor extiterit, praeterquam si aegritudine fuerit detentus, sciat se canonicis subiacere sententiis ».

Glossa autem textum ita explicat: « Episcopi qui subsunt Romanae Ecclesiae nullo mediante (sive immediate subiecti qui hodie dicuntur, sive in provincia ecclesiastica Romana), si vicini sunt, quolibet anno Sedem Apostolicam visitent per se vel per alium. Si vero sunt remoti, faciant sicut in chirographo suo continetur. Et quicumque hoc contempserit, nisi sit valetudine impeditus, canonicis regulis subiacebit ». *Propinqui,* iuxta Glossam, sunt qui in eadem provincia degunt; *remoti* vero, qui ultra duas dietas a Roma distant; *de longinquo* autem, qui ultra Italiam constituti sunt.

Dispositio quidem primo et directe Ravennatensem Metropolitam intendebat [11], sed complures alios Episcopos afficiebat.

Inde videtur tempore Gratiani obligatio adeundi Synodum Romanam adhuc aequipollens esse obligationi visitandi Limina. Chirographum vero illud formula videtur fuisse iurisiurandi, quae postea, usu perpolita, in Decretalibus recepta fuit [12] et veluti stabilis permansit. Quia nempe in Synodo non apte relatio de statu dioecesis fieri poterat, inde a Leone IX. practice, in chirographo seu in formula iurisiurandi distincta includebatur obligatio Romanum Pontificem adeundi.

Historicam occasionem huius innovationis praebuit usus a saec. IX invectus impetrandi *pallium,* quantum fieri potuisset personaliter, ab omnibus Metropolitis, qui hac ratione Roma-

---

[9] Sipos, op. et l. cit.
[10] c. 4. D. 93.
[11] Chelodi-Ciprotti, op. et l. cit.
[12] c. 4. X. 2, 24.

num Pontificem semel saltem adire debebant. Quare, in consecratione iusiurandum emittebant Episcopi [13]: « Vocatus ad synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione... Apostolorum Limina singulis annis, aut per me, aut per certum nuncium visitabo, nisi eorum absolvat licentia » [14].

4. Sed a medio saec. IX usque ad Innocentium III frequentissimae et pene annuales factae sunt synodi generales, quibus quam plurimi Episcopi intererant ad hortatum Romani Pontificis, qui qualibet utebatur occasione ut eos ad hoc officium adimplendum sacramento obstringeret.

Ideo Gregorius VII usum iam antiquitus ubique obtinentem adeo urgebat ut simile iusiurandum pluribus Episcopis exteris et omnibus Episcopis Italiae, non exceptis Ravennatensi, Mediolanensi et Aquileiensi, imponeret.

Paschalis II Archiepiscopo Poloniae, qui aegre iuramentum Romam veniendi in receptione pallii praestaverat, rescripsit Metropolitas omnes, remotissimos etiam et ultra Poloniae fines dissitos, ut Daci, illud edere eosdemque Apostolorum Limina non solum quolibet triennio, sed singulis annis saltem per delegatos visitare [15].

Usus autem universalis evasit ineunte saec. XII pro omnibus Episcopis qui iussu Romani Pontificis consecrabantur, et Abbatibus monasteriorum exemptorum qui Eiusdem iussu benedicebantur.

---

[13] Glossa ad c. 4. X. 2, 24.

[14] c. 4. X. 2, 24. - Notant Richter-Friedberg in Editione Corporis Iuris: « Eiusdem *fere* tenoris iuramentum exstat in Conc. Rom. hab. sub Greg. VII, Romae, a. 1079 ». Inde, fortasse, nonnulli textum ipsi Gregorio VII certa cum probabilitate tribuunt. Verum in *Gregorii VII Reg. 17, a*) (ed. *Caspar*, Berlin, 1920, p. 428) legitur formula iurisiurandi quod in synodo februarii 1079 iussu Papae emisit Sicardus, Patriarcha Aquileiensis, quodque nihil omnino continet de obligatione Limina visitandi; et de interventione ad synodum haec habet: « *Ad synodum*, ad quam *me vocabunt* (Gregorius nempe aut eius successores), per se vel per suos nuncios vel per suas litteras, *veniam* et canonice oboediam, aut si non potero (sic), legatos meos mittam ». Re vera simile iusiurandum, singulis aptandum, permultis Archiepiscopis et Metropolitis imponebatur; quare arguere possumus formulam Decretalium ex iis omnibus Gregorium IX desumpsisse et opportunis legalibus correctionibus et praecisationibus perpolisse. Nihilominus per totum saec. X-XI nulla expressa mentio legis praecedentis invenitur quae visitationem Liminum imponeret, quaeque proinde hoc tempore obsolevisse videtur. Neque Gregorius VII in frequentibus invitationibus Episcoporum ut ad se venirent (v. gr. ad Lanfrancum Canturiensem, ad Archiepiscopum Rhotomagensem, ad Hugonem Cluniacensem: apud Lucidi, op. et l. cit., p. 11), quibus non raro graves sanctiones, ni oboedirent, minatur, legem illam in mentem revocat.

[15] Apud Lucidi, op. cit., I, p. 12.

Postquam, denique, Sancta Sedes omnium Episcoporum consecrationes sibi reservavit, pronum erat ut ad omnes prorsus Episcopos obligatio visitandi Sacra Limina extenderetur [16].

5. At saeculis schismatis et reformationis lex iterum obsolevit et usus Romam adeundi fere evanuit.

Onus igitur et honor collapsam disciplinam restaurandi Sixto V tribuenda sunt, cuius Constitutionis [17] proaemium etiam Decretum *Ad Sacra Limina* ipsissimis fere verbis proponit. Is proinde antiquum iusiurandum restituit et disciplinam reordinavit, modum et temporum spatia et locorum distantiam moderando.

Ex Constitutione Sixtina, quam Benedictus XIII formula relationis conficiendae auxit [18], quamque Benedictus XIV [19] innovavit atque ad Praelatos Nullius extendit, consecrandi Episcopi et Metropolitae pallium recipientes, iusiurandum fidelitatis emittere debebant se Apostolorum Limina statis temporibus personaliter aut, si legitime fuissent impediti, per procuratorem, esse visituros. Episcopi viciniores, ut Itali et ex italicis insulis Siculi, Sardi, Corsi, et Dalmatae ac Graeci, qui e regione ipsis Italiae et Siciliae oris sunt, visitationem ad Limina quolibet triennio facere debebant; Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Boëmi, Hungari, Angli, Scoti, Hiberni et coeteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quolibet quadriennio; remotiores, quolibet quinquennio; remotissimi, ut Asiatici, quolibet decennio. Tempus incipiendum erat a die promulgationis constitutionis, nempe a die 20 dec. 1585 [20].

6. Saeculis supervenientibus iurisprudentia Sacrarum Congregationum, Concilii nempe et de Propaganda Fide, huiusmodi institutum visitationis ad Limina opportunis decisionibus ordinavit.

Prae primis ab onere dispensavit Episcopos titulares, quos quidem constringendos non esse edixit [21], sed visitare volentes admittendos esse censuit [22].

---

[16] Cfr. Saegmueller, *Die visitatio Liminum SS. Apostolorum bis Bonifaz.* VIII (Tub. Q-schrift., 1900, p. 69 ss.).

[17] Sixtus V, Const. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585 (*Fontes Iuris Canonici*, I, n. 156).

[18] Cfr. Instr. *Summus Pontifex* a S. C. Concilii a. 1725 iussu Benedicti XIII edita (apud Ferraris, *Prompta Bibliotheca canonica*, etc. v. *Limina Apostolorum*).

[19] Benedictus XIV, Const. *Quod Sancta*, 23 nov. 1740 (*Fontes*, I, n. 303).

[20] S. C. Conc., in Carpentoracten., 19 febr. 1718.

[21] S. C. Conc., in Marochitana, 1594.

[22] S. C. Conc., in Lubianen., 27 febr. 1644.

Visitatio autem fieri poterat per procuratorem specialem, qui, si erat canonicus, non amittebat distributiones quotidianas per tres menses, qui eidem pro itinere Romano concedebantur [23]. Sed procurator iste e dioecesi venire debebat, nec admittebatur in Curia Romana aut in Urbe ipsa existens [24], etiamsi canonicatum in dioecesi obineret [25]. Quod quidem admittebat S. C. de Propaganda Fide pro territoriis eidem subiectis, attentis peculiaribus circumstantiis in quibus Praesules Missionum inveniri potuissent. Ita concessit ut Ordinarii Missionum visitationem ad Limina peragere possent per procuratorem in Curia Romana existentem, dummodo specialiter pro singulis vicibus eum constituissent [26]. Immo Ordinariis Tunk. Occid. a. 1844 S. Congregatio rescripsit ut visitationem ad Limina facerent per procuratorem ab ipsa S. Congregatione, ad instantiam, designandum « quum iis (Ordinariis) nec, Sancta Sede inconsulta, liceat, nec omnino expediat, sibi creditas Missiones, in iis praecipue quibus versantur adiunctis, relinquere [27].

Saeculo praeterlapso Pius IX Episcopis Hiberniae in mentem perantiquam legem revocat: « Vobis autem summopere cordi sit iuxta Apostolicas Constitutiones statutis temporibus haec veneranda Apostolorum Petri et Pauli Limina praesentes visitare, ac Nobis et huic Sanctae Sedi diligenter exponere et referre vestrarum dioecesium res, statum, negotia, ut opportuna quaeque auxilia habere possitis ad muneris vestri partes maiori usque alacritate et studio obeundas » [28].

Iterum recentiori tempore prodierunt supra citata Instructio *Inter praecipua* [29] atque, instante novi Codicis praeparatione, S. C. Consistorialis Decretum *A remotissima*, 31 dec. 1909 [30]; quibus, effectis multo facilioribus ac tutioribus dioeceses inter et Sanctam Sedem commerciis [31], denuo ordinata fuit totius negotii materia; quaeque maxima ex parte codificata sunt.

---

[23] S. C. Conc., in Vasionen., 17 apr. 1627.

[24] S. C. Conc., in Quiten., 16 mart. 1647.

[25] S. C. Conc., in Eistetten., 24 febr. 1652.

[26] S. C. de Prop. Fide, 28 iul. 1626 (*Collect.*, n. 24).

[27] S. C. de Prop. Fide, 23 mart. 1844 (*Collect.*, n. 989).

[28] Pius IX, Ep. Encycl. *Optime noscitis*, 20 mart. 1854 (*Fontes*, II, n. 517).

[29] S. C. de Prop. Fide, *Instr.* 1 iun. 1877 (*Collect.*, n. 1472).

[30] *Fontes*, V, n. 2064.

[31] « Facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediant, nostra hac aetate nonnisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facultate longissima quaeque itinera terra marique perfici valeant » (ex Instr. *Inter praecipua*, cit.). Sed hodie etiam haec superata sunt.

7. Vigens disciplina universalis in cc. 341-342 continetur.

Lex tenet omnes et singulos Episcopos residentiales. Revera, « visitatio Liminum nomen genericum est, quo communiter designatur triplex actus, invicem quidem distinctus, sed ratione finis et temporis connexus » [32], qui nempe complectitur: 1) materialem visitationem Sepulchrorum Apostolorum Petri et Pauli in Basilicis Vaticana et Ostiensi, iuxta normas liturgicas peractam, de qua visitatione in respectivis sacristiis documentum recipitur apud S. C. Consistorialem deponendum; 2) reverentiam et oboedientiam Romano Pontifici, Christi in terris Vicario et in Ecclesia Universali Primati, exhibitam; 3) oralem de statu propriae dioecesis aut quasi-dioecesis relationem, quae quinquennalem scriptam relationem exhibitam vel exhibendam explicet et confirmet.

Obligatio omnes et singulos concernit Episcopos, qui actu distinctum territorium ecclesiasticum stabiliter regunt; sed tenet quoque Episcopos, qui dioecesim aut quasi-dioecesim personalem gubernant, ut v. gr. sunt diversi Ordinarii personales, qui ex ritu aliisque rationibus potius quam ex territorio suos subditos desumunt; et nunc etiam Ordinarii seu Vicarii Castrenses, qui ex professione militari aut ex servitio in copiis praestando subditos sortiuntur.

Terminus *Episcopus*, quo c. 341 utitur, hominem videretur designare qui charactere episcopali polleat; sed hic pro « Ordinario loci » usurpatur, ut ex locis parallelis et ex ordinationibus extra Codicem colligi potest. Nam etiam Vicarii Apostolici (c. 299) etiamsi ordinatione episcopali careant, aliique locorum Ordinarii ad Sacra Limina visitanda obligantur.

Insuper, huiusmodi obligatio, utpote quae ex iure Primatus descendat et symbolice actum oboedientiae atque reverentiae praeseferat, etiam Ordinarios rituum orientalium gravat [33].

Obligatio est stricte personalis; impediti tamen ab ea non eximuntur, sed eidem satisfacere debent vel per Coadiutorem, si quem habeant, vel, ex iustis causis a Sancta Sede antea probandis, per idoneum sacerdotem qui in eiusdem Episcopi dioecesi resideat (c. 342); non ideo per procuratorem, qui in ipsa Urbe resideat et negotia dioecesis habitualiter gerat, nisi agatur de Vicariis Apostolicis, quibus indulgetur ut, si ipsi gravi impedimento

---

[32] Cfr. U. Beste, *Introductio in Codicem*, Collegeville, 1946, p. 273.

[33] Siquidem, iuxta disciplinam diversorum Rituum, Patriarcha, Archiepiscopus, Eparcha seu Episcopus obligatione tenentur intra annum a sua electione, ad Urbem, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra veneraturi, accedendi et Summo Pontifici se sistendi.

detineantur quominus Urbem petant, possint tanto muneri satisfacere per procuratorem etiam in Urbe degentem (c. 299).

Quoad tempus visitationis peragendae haec obligatio alteri obligationi quinquennalis relationis faciendae aggeminatur (cfr. c. 340). Ideo dicitur obligationi huiusmodi satisfaciendum esse « eo anno quo relationem exhibere tenetur » (c. 341 § 1). Largior autem indulgentia quoad Sacrorum Liminum visitationem continetur in c. 341, § 2: si quis Episcopus extra Europam, ob distantiam sive ob aliam iustam causam, non posset singulis quinquenniis Urbem petere, hoc faciat alternis saltem quinquenniis seu singulis decenniis.

8. Quod autem recentiori tempore scribebamus [34], Instr. *Sollemne semper,* 23 apr. 1951 [35] nihil de obligatione Vicarii Castrensis Sacra Limina statutis temporibus visitandi contineri, nullam difficultatem facere potest. Nam, quod tunc expresse ominabamur [36], nunc praesenti Consistoriali Decreto iam correctum est atque cum coeteris de re dispositionibus harmonizatum. Si quae enim differentiae adhuc extabant inter Ordinarios locorum et Vicarios Castrenses, hae sensim sine sensu, ad praxim quod attinet, evanescunt.

Siquidem praesenti Decreto non solum aggeminatio obligationum Relationem scriptam conficiendi et mittendi, quae iuxta Instr. *Sollemne semper* ad formam praescriptam [37] singulis trienniis conficienda et mittenda erat, atque ad Sacra Limina visitationem peragendi, restituitur, sive quoad tempus sive quoad modum; sed etiam maximus habetur respectus speciali conditioni Vicariorum Vicariatuumque Castrensium.

Notat igitur prae primis Decretum *Ad Sacra Limina,* 28 febr. 1959, priscis iam ab aevis ad Sacra Limina properare, *non sine Spiritus Sancti instinctu* universos locorum Ordinarios iussos esse, tria illa, quae dictio *visitatio ad Sacra Limina* in se complectitur, persoluturos. Siquidem, et Vicarii Castrenses inter Ordinarios loco-

---

[34] Cfr. A. Pugliese, *Storia e Legislazione sulla cura pastorale alle Forze Armate,* Ordinariato Militare, 1956, p. 137; Idem, *Adnotationes* ad Formulam Servandam in Relatione de statu Vicariatus Castrensis conficiendam (*Monitor Eccl.,* 1957, pp. 571-590).

[35] AAS., 43 (1951), p. 562 ss.

[36] « Etiamsi respectus habeatur, prout decet, speciali Vicarii Castrensis conditioni, fere omnia iura et obligationes Ordinarii loci videntur Vicarium Castrensem concernere, intra limites possibilitatis dumtaxat et convenientiae, vi illius genericae adsimilationis atque paritatis Vicarii Castrensis ad Ordinarium loci » (*Monitor Eccl.,* 1956, p. 588, nota 23).

[37] Cfr. *Formula Servanda,* 20 oct. 1956; AAS., 49 (1956), p. 562 ss.

rum adnumerandi certe sunt, et ipsos oportet Romano Pontifici, ex cuius largitate sunt pastores, gratiarum actiones solvere, et ipsis, *in Regia Urbe Roma,* sepulchra Sanctorum Apostolorum, tamquam fidei petram et sacerdotalis unitatis fontem venerari necesse est, et cum Romano Pontifice colloqui eiusque mandata recipere ad eorum pastorale munus pertinet.

Maximi momenti est indubie affirmatio inter Praelatos Ordinarios etiam Vicarios Castrenses accensendos esse; aequiparatio nempe iuridica iam habetur, etsi, practice, ex fine utriusque pastoralis officii, adhuc sint notabiles differentiae, quas iam pluries in hisce Ephemeridibus ipsi notavimus. Essentia vero et natura pastoralis muneris in utroque Ordinario eaedem nunc sunt, quae iam ad unitatem et identitatem naturalem tendebant.

9. Itaque, obligatio visitationem ad Sacra Limina personaliter peragendi, quae ex c. 341 § 1 omnes et singulos Episcopos residentiales gravat, etiam Vicarios Castrenses concernit (n. 1). Quae obligatio, pro iis iterum alteri obligationi scriptam conficendi et mittendi de statu Vicariatus relationem coniungitur et aggeminatur (n. 2), ita ut eodem anno quo Episcopi illius Status, in quo ipsi constituti sint, relationem mittere atque Sacra Limina visitare debent, eo ipso anno respectivi Vicarii Castrenses ad id teneantur. Inde et Vicarius Castrensis in ordinariam regionis seu Status hierarchiam plenius inseritur.

Cum autem non raro evenit quod Vicarius Castrensis sit simul Episcopus residentialis [38], tunc Vicarius Castrensis huic satisfacit obligationi una eademque visitatione, officia cumulando; is nempe et qua Episcopus residentialis et qua Vicarius Castrensis visitationem peragere potest cum duplici qualitate documenta signando, et Romano Pontifici de statu Dioecesis et de statu Vicariatus eadem tempestate referendo (n. 3), quamvis duplicem, ut videtur, scriptam relationem exhibeat. Quae quidem scripta relatio, quae hactenus quolibet triennio, incipiendo a die 2 ian. 1592, exhibenda erat [39], nunc ad tempus quinquennii a Codice pro coeteris Ordinariis locorum statutum (c. 340 § 1-2) restituitur et ad criterium geographicum fixis quinquenniis a die 1 ian. 1911, iuxta c. 340 § 2 (n. 5).

Ita scil. ut hoc anno 1959, ex serie quarto, huic duplici obligationi satisfacere deberent Vicarii Castrenses totius Americae et

---

[38] Ita v. gr. fit in Africa Meridionali, Argentina, Belgio, Brasilia, Canada, Columbia, Insulis Philippinis, Gallia, Germania, Indonesia, Hollandia, Republica Dominicana, Statibus Foederatis Americae Sept. (cfr. *Annuario Pontificio* 1959, pp. 855-857).

[39] Videsis Proaemium in *Formula Servanda,* 20 oct. 1956.

insularum adiacentium, nempe, ex iis nunc existentibus, Argentinus, Bolivianus, Brasileensis, Canadensis, Chilenus, Columbianus, Peruvianus, Dominicanus, Statuum Foederatorum Americae Sept.; in sequenti autem anno, ex serie quinto, Vicarii Castrenses Africae Meridionalis, Insularum Philippinarum, Indonesianus; anno 1961, ex serie primo, Vicarius Castrensis Italiae; anno 1962, ex serie secundo, Vicarii Castrenses Belgicus, Gallicus, Anglicus, Hollandicus, Hispanicus; anno denique 1963, ex serie tertio, Vicarius Castrensis Germanicus.

Item pro Vicariis Castrensibus integrum privilegium in c. 340 § 3 contentum restituitur, expresse priori legi de relatione scripta conficienda derogando (n. 6), ut aequiparatio iuridica Vicariorum Castrensium ad Ordinarios locorum magis clarescat magisque confirmetur. Ratio praescriptionis evidens est. Non enim censetur, nisi post duorum annorum tempus muneris, ita Vicarius Castrensis noviter electus Vicariatum suum cognoscere ut possit de eo tute et conscientiose referre. Qua ratione hoc anno 1959 a conficienda relatione et a visitatione peragenda eximi possunt Vicarius Castrensis Argentinus (8 iul. 1957), Dominicanus et Statuum Foederatorum Americae Sept.[40].

Tandem, obligatio Sacra Limina visitandi est, ut supra innuebamus, stricte personalis. Primo enim et per se, Vicarius Castrensis personaliter Romanam peregrinationem ad hunc finem peragere debet. Cum vero id haud semper facile erit rerum contingentiis prohibentibus, ut, puta, tempore belli, quando nempe Vicarii Castrensis praesentia in loco multis de causis exigatur, ideo indulgetur, quatenus iisdem non licebit, ut, Sancta Sede, nempe Sacra Congregatione Consistoriali praevio adprobante, visitatio Sacrorum Liminum per Episcopum Auxiliarem vel per Cappellanum Maiorem fieri posset (n. 4), quocumque nomine hic vocetur, iuxta speciale Decretum erectionis singulorum Vicariatuum Castrensium.

10. Ad exitum nostrarum harum Adnotationum perventi, liceat summatim nunc colligere et universali admirationi proponere huius Decreti peculiaritates pretiosas.

Imprimis omnino laudanda est cura S. Congregationis Consistorialis servandi ecclesiasticam traditionem. Decretum enim,

---

[40] Nihilominus, verbum *potest* possibilitatis est, non coactionis. Ideo laudandus videtur Vicarius Castrensis qui huic duplici suae obligationi satisfaciat, saltem ex iis quae in Curia Vicariatus Castrensis adservantur, etiam in primo biennio officii sui.

etsi innovationibus salutaribus gravidum, sollicitum apparet nexum statuere inter antiquum et novum, ita ut vere ramus insititius super annoso trunco quidquid novum videatur, harmonice ex c. 6 nova et vetera copulando.

Materialiter seu formaliter Decretum traditionalem formam retinet: post proaemium, in quo breviter et perspicue continentur et historia et finis legis, lex ipsa articulis sex concinne sed complete formulatur.

Substantialiter, ut iam notatum est, Decretum principium aequiparationis iuridicae inter Ordinarios locorum et Vicarios Castrenses firmiter statuit, simulque rationabiles exceptiones praevidet eisque pro posse medetur.

Uberrimos inde fructus Ecclesia Universalis pro salute animarum, pro intima connexione Praesulum cum Pastore Supremo, pro unicitate et catholicitate muneris pastoralis sperare potest. Faxit Deus!

Augustinus Pugliese
Sacrae Congregationis de Religiosis Officialis

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

DECRETUM

DE RELIGIOSIS SERVITIO MILITARI ADSTRICTIS

Militare servitium, quod neglecto clericalis immunitatis privilegio a civili potestate religiosis et sodalibus Societatum vitae communis imponitur, divinam vocationem et spiritum religiosum, ut experientia docet, in discrimen facile adducit. Ut tam gravi occurreretur periculo, Apostolica Sedes peculiares normas constituere et cautelas inducere opportunum ac necessarium putavit.

Hoc ducta consilio, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, die 1 Ianuarii anno 1911, Decretum « Inter reliquas » edidit, speciali approbatione Sancti Pii X confirmatum, ipsumque interpretata est et in usum deduxit iteratis declarationibus, veluti diei 1 Februarii 1912, 15 Iulii et 30 Novembris 1919, 16 Martii 1922.

Cum tamen condiciones in quibus servitium militare in praesens obitur, postremis hisce temporibus valde sint mutatae, cumque praeservationis media efficaciora in promptu habeantur, expedire visum est totam rem ex integro ordinari.

Quapropter, re mature perpensa in Plenario Coetu Eminentissimorum Patrum et accedente Ss.mi D. N. Pii Pp. XII approbatione in Audientia diei 30 Iulii anni 1957, eadem Sacra Congregatio quae sequuntur statuere decrevit.

Art. 1 - NOTIO SERVITII MILITARIS

Servitium militare, in hoc Decreto, intelligitur servitium ordinarium, quod, ex legum civilium praescripto, iuvenes religiosi primum in exercitus ordines asciti et sub potestate atque disciplina militari constituti saltem per semestre tempus, continuum aut intermissum, praestare debent, sive arma deferendo sive auxiliaria

servitia quaelibet, etiamsi solum ad sanitatem pertinentia, praebendo.

Art. 2 - VOTA PERPETUA ET SERVITIUM MILITARE

Nemo potest ad professionem perpetuam valide admitti antequam servitium militare peregerit vel inhabilis ad idem absolute declaratus fuerit, aut iure quavis ratione ab ipso praestando in perpetuum liber evaserit.

Art. 3 - VOTA TEMPORARIA ET SERVITIUM MILITARE

§ 1. Vota temporaria religiosi ad arma vocati, firmo praescripto § 2, suspenduntur cum ipse disciplinae militari subicitur.

§ 2. Superior tamen maior, de consilio suorum Consultorum, religioso ad militiam vocato qui certe dignum se praebeat votorum temporariorum conservatione tempore militaris servitii, ipsamque petat, eorumdem conservationem ad definitum tempus vel ad nutum pro sua conscientia et prudentia concedere potest.

§ 3. Ipso militaris disciplinae tempore, idem Superior, ex iusta ac gravi causa potest vota, religioso ad normam § 2 concessa, denuntiatione scripta suspendere; pariter restitutionem eorumdem votorum quae aut initio aut postea suspensa fuerint, concedere.

Art. 4 - CONDICIO IURIDICA RELIGIOSI TEMPORE MILITARIS SERVITII

§ 1. Sodalis, servitii militaris tempore, legitime a domo religiosa absens est et, proinde, vitae religiosae obligationibus manet obstrictus quae, iuxta Superioris maioris iudicium, cum eius condicione militari componi possunt.

§ 2. Tempus quo, votis religiosis adstrictus, aliquis in militia transegit ad normam art. 3, §§ 2 et 3 computari potest ad effectus can. 574, § 1, firmo art. 6.

§ 3. Sodalis, quamquam votis tempore servitii militaris non adstrictus, membrum esse pergit suae Religionis, sub potestate suorum Superiorum constitutus.

§ 4. Sodalis votis non adstrictus potest, ad normam can. 637,

libere Religionem deserere, praemonitis, ad valorem actus, Superioribus per declarationem seriptis consignatam vel Superiori coram testibus oretenus factam. Declaratio voce facta statim vim exserit; scripta vero cum ipse sodalis certior factus fuerit Superiorem illam recepisse.

Religio pariter potest sodalem, ad normam eiusdem canonis 637, ob iustas et rationabiles causas, eadem servata forma, dimissum declarare.

Art. 5 - DE PAUPERTATE

Quod ad bona attinet a sodalibus tempore servitii militaris acquisita et ad ea quae postea ipso militiae munere iis obveniunt, ipsi eiusdem servitii tempore votis adstricti sint, sive ab ipsis soluti, haec servanda sunt:

§ 1 - 1) Quidquid sodalis industria sua aut intuitu Religionis acquirit, Religioni acquirit.

2) Industria sua sodalis acquirit stipendia miiltaria et generatim quidquid ex eo quod miles est, ipsi obveniat.

§ 2 - Praemium vero quod professo votorum simplicium datur et in patrimonium redigi potest, erit ad instar dotis in sortem convertendum, cuius fructus a Religione percipitur dum alumnus in ea permanet. Per obitum sodalis, praemium Religioni acquiritur. Sodali vero quavis de causa discedenti, idem integrum restituendum est sine fructibus iam maturis. Ceterum quoad regulares serventur canones 581 et 582.

2) Pensiones, quae sodali obveniunt propter insignia merita vel propter vulnerationem vel morbum in militia contractum, Religioni tribuuntur ad eamque pertinent, dum ipse in eadem permanet; sibi ipsi acquirit si forte inde discesserit.

3) Praemia, munera vel quaelibet huiusmodi largitiones ex obitu sodalis militiae addicti data, Religioni cedunt si ipse ut membrum Religionis occubuerit.

Art. 6 - PROBATIO POST SERVITIUM MILITARE

Firmo praescripto can. 574, sodalis, peracto servitio militari, per aliquod tempus sub regimine vitae communis et in votis tempo-

rariis permaneat. Hoc tempus generatim non erit trimestri minus. Superior maior, de consultorum consilio, ex gravi causa hoc trimestre tempus breviare poterit vel, iuxta suum prudens iudicium ipsum usque ad annum prorogare antequam ad professionem perpetuam sodalem admittat.

Art. 7 - EXTENSIO DECRETI

§ 1. Praescriptis de quibus in superioribus articulis, congruis ad congrua relatis, obligantur etiam Societates in communi viventes sine votis.

§ 2. Firmo can. 556, § 1, novitii, qui ad militiam vocantur, nisi legitime dimissi fuerint vel Religionem ipsi deseruerint, Religioni addicti esse pergunt et privilegiis novitiorum fruuntur.

Art. 8 - RELATIO AD IUS PRAECEDENS

Professiones omnes, hucusque contra praescripta Decreti « Inter reliquas » et insequentium declarationum emissae, per praesens Decretum ad omnes canonicos effectus sanantur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus et revocatis privilegiis seu concessionibus hac in re datis.

Datum Romae, die 30 Iulii 1957.

VALERIUS Card. VALERI, *Praefectus*

L. + S.

Arcadius Larraona, C. M. F., *a Secretis*

(*A.A.S.*, vol. 49, pp. 869-874).

ADNOTATIONES

En, amice lector, non commentarium quidem, sed breviores adnotationes ad faciliorem textus intelligentiam.

Tota materia de servitio militari pro religiosis vel sodalibus tur seu integra legislatio reordinatur jam a die 26 januarii 1958; Societatum sine votis in communi viventium EX INTEGRO [1] renova- decretum enim « *Militare servitium* » diei 31 julii 1957 in Ephemeridibus ACTA APOSTOLICAE SEDIS diei 20 octobris 1957 promulgatum est [2].

Peculiaris omnino legislatio pro clericis et religiosis qui ad militiam vocantur non ex arbitrio sed ex necessitate procedit. Status enim clericalis vel religiosus et status militaris per se non coutuntur et ab antiquis jam temporibus Ecclesia clericis prohibuit ne militiae nomen dedissent.

Recens legislatio, quae pro religiosis adhuc vigebat usque ad diem 25 januarii 1958, erat decretum « *Inter reliquas* » diei 1 januarii 1911 [3], quod et post Codicem juris canonici, nonobstante praescripto canonis 6, vim legis retinere pergebat propter expressam declarationem Sacrae Congregationis de Religiosis diei 15 julii 1919 [4].

Ob novas vitae circumstantias in ultima praesertim generali belli conflagratione annorum 1939-1945, permultae declarationes et interpretationes vel indulta nata sunt, quae legem perfecerunt sed quae etiam aliquoties inter se discrepabant. Perdifficile exinde deveniebat Superiorum religiosorum munus decretum « *Inter reliquas* » applicandi, cum periculo errores admittendi, qui validitatem professionum tangerent. Ita, ut unicum afferam exemplum, non omnes in memoria semper retinebant declarationem Sacrae Congregationis de Religiosis diei 15 julii 1919 in qua statuitur: « vota... cessant eo die, quo Religiosus militiae effectivae adscriptus evadit, *vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur* » [5]. De opportunitate vel de aspectu plus minusve logico hujusmodi ultimae clausulae loqui nunc non intendo sed de sola possibilitate errorum ex ea, vel propter oblivionem vel propter defectum in diebus computandis, provenientium; invaliditas professionis perpetuae facilius exinde oriebatur si tempus a jure praescriptum non integre explebatur vel computabatur.

---

[1] cfr. can. 22.

[2] *A.A.S.*, 1957, pp. 871-874.

[3] *A.A.S.*, 1911, pp. 37-39.

[4] *A.A.S.*, 1919, p .321.

[5] ibid., p. 323.

Opportunius proinde statuit decretum « *Militare servitium* » sanationem omnium professionum invalide sub regimine decreti « *Inter reliquas* » emissarum.

Practicae igitur necessitati respondet Decretum diei 31 julii 1957. Sicut vita multa imponit, quae libera voluntas acceptare aut facere nollet, ita et servitium militare a legibus civilibus saepe saepius religiosis (aut sodalibus Societatum sine votis in communi viventium) imponitur quin possibile sit talem obligationem eludere. Haec coactio nequit ipsius rei speciem seu naturam modificare; quare servitium militare semper remanet malum quid vel minus malum et errant qui docent illud periodum esse necessariam et perutilem in vita religiosa. Nonnullis in casibus revera servitium militare « remedium » esse poterit pro aliquibus religiosis; quod tamen naturam rei non mutat. Venenum enim semper venenum est etsi sanitatem alicui restituere valeat.

Quapropter prudentissime dicit decretum *Militare servitium* « quod neglecto clericalis immunitatis privilegio a civili potestate religiosis et sodalibus Societatum vitae communis imponitur, divinam vocationem et spiritum religiosum, ut experientia docet, in discrimen facile adducit. Ut tam gravi occurreretur periculo, Apostolica Sedes peculiares normas constituere et cautelas inducere opportunum ac necessarium putavit » [6].

Propter leges civiles igitur et Ecclesia legem ferre debuit circa statum, qui, ex regula, a statu clericali alienus est et religiosos vel clericos respicere non deberet; legem anteriorem abrogando, decretum emisit « *Militare servitium* ».

Essentialia, quae in Plenario Eminentissimorum Patrum Coetu mature perpensa et approbata fuerant, Sacra Congregatio de Religiosis reassumpsit et, recepto ipsius Summi Pontificis consensu, sub forma decreti promulgavit [7]. Et alia permulta ad modum complementi vel applicationum addi poterant; melior visa est Sacrae Congregationi quam brevis forma decreti, alicui fortasse futurae Instructioni secundaria elementa completiva relinquendo.

Nisi aliter expresse, v. g. in aliquo concordatu, statutum fuerit, jam a die 26 januarii 1958 viget ubique nunc pro religiosis (vel sodalibus Societatum sine votis sed vitae communis) ad militiam vocatis decretum diei 31 julii 1957.

Ad modum synthesis breviter nunc exponere vellem:

1. quando applicatur decretum « *Militare servitium* »;
2. quisnam illud servare tenetur;

---

[6] *A.A.S.*, 1957, p. 871.

[7] cf.: Decretum « *Militare servitium* », in fine introductionis.

3. ad quid obligat;
4. condicionem juridicam illorum qui ad militiam vocantur;
5. extensionem decreti et relationem ad jus anterius.

1. Quando applicatur decretum « militare servitium ».

Applicatur decretum « *Militare servitium* » quando notio servitii militaris in textu exposita verificatur.

Non quodcumque in decreto consideratur servitium militare sed ordinarium, quod nempe per semestre saltem tempus praestare tenentur juvenes religiosi in votis temporaneis constituti et juvenes etiam sodales Societatum viventium in communi sine votis.

Servitium esse debet ordinarium; si quis ergo religiosus, post expletum servitium militare ordinarium, denuo ab auctoritate legitima ad servitium vocetur dum adhuc in votis sit temporariis, non applicatur decretum « *Militare servitium* » nam de servitio ordinario non agitur: vota proinde non suspenduntur et, expleto tempore votorum temporariorum, professio perpetua simplex vel solemnis emitti poterit.

Servitium ordinarium debet per sex saltem menses — sive continuos sive non continuos — protrahi; brevius servitium non esset servitium militare sensu decreti. Nec applicaretur decretum si per aliquot dies tantummodo quolibet anno praescriptum esset servitium militare.

Servitium fieri debet insuper sub potestate et disciplina militari; si quis ergo religiosus servitium praestaret sub potestate quidem militare sed sub disciplina religiosa, v. g. in domo religosa degendo et vitam religiosam pergendo, non applicaretur decretum.

Non multum refert utrum religiosus arma deferat vel auxiliaria tantum servitia praebeat.

Non refert quod alumnus statim vocetur aut, ex legis praescripto, vel de facto, non statim vocetur; usque dum servitium expleatur vel ab illo dispensetur valet decretum et professio perpetua emitti nequit.

Servitium igitur militare, sensu decreti, erit unice servitium ordinarium, quod juvenes religiosis vel Societatis sine votis alumni per semestre saltem tempus, sub potestate et disciplina militari praestare tenentur [8].

---

[8] Decretum, art. 1.

2. Quisnam decretum servare teneatur?

Multi sunt, variis sub aspectibus, decreti « *Militare servitium* » subjecta:

a) juvenis religiosus votorum temporariorum quem lex civilis ad militiam vocat;

b) juvenis etiam sodalis Societatis viventium in communi sine votis ita ad militiam vocatus;

c) Superiores majores Religionis vel supradictae Societatis;

Novitius vero non est decreti subjectum nisi in quantum articulus 7, par. 2 illius condicionem juridicam relate ad Religionem vel Societatem determinat.

3. Ad quid obligat decretum « militare servitium ».

Diversas distinguere debemus obligationes quatenus alumnos respicimus vel Superiores.

A) Ex parte alumni:

a) ante servitium militare.

Nihil immutatur quoad emissionem votorum vel promissionum; quare sodales Religionis vel Societatis omnia perficere debent quae ad primam vel alias subsequentes temporaneas professiones a jure sive communi sive particulari requiruntur.

Cum ad militiam « vocatio » imminet, si vota vel promissiones conservare quis desiderat sodalis, petitionem Superiori majori praesentare curet; quo neglecto, ipso facto suspenduntur vota vel promissiones « cum ipse disciplinae militari subjicitur » [9].

b) tempore servitii.

Si vota suspenduntur, poterit alumnus ut riviviscant petere et, si vivere perrexerunt, illorum suspensionem rogare.

Si vota pergunt, renovatio tempestive fiat ad normam constitutionum coram Superiori legitimo vel illius delegato etiam ultra triennium vel sexennium si ita necessarium erit ante servitii militaris expletionem.

Votis aut promissionibus ligatus vel solutus memor semper sit sodalis quod superioribus parere debet; semper enim « sub potestate suorum Superiorum constitutus » manet [10]. Memor semper enim sit quod « vitae religiosae obligationibus manet obstrictus quae, juxta Superioris majoris judicium, cum ejus condicione militari componi possunt » [11].

---

[9] Ibid., art. 3, par. 1.

[10] Ibid., art. 4, par. 3.

[11] Ibid., art. 4, par. 1.

Si vota aut promissiones non fuerunt suspensa, nequit sodalis Religionem vel Societatem deserere nisi expleto tempore professionis; si vero suspensa ipsa fuerunt, potest alumnus Religionem vel Societatem derelinquere, servata tamen sequenti formalitate, quae et valorem actus tangit: superiorem majorem praemoneat; quodsi oretenus fecerit coram testibus, illico liber evadit; si vero scriptis cum superiore communicaverit, certior prius esse debet Superiorem communicationem recepisse quam Religionem vel Societatem desereat [12].

Religioni integre tradere debet ea omnia quae industria sua aut intuitu Religionis vel Societatis acquisiverit; ita, v. gr. stipendia militaria, stipendia Sanctarum Missarum, quidquid eo quod miles est ipsi obvenerit [13].

Si quid receperit praemii, quod in patrimonium redegi possit, debet ipse sodalis fructus Religioni vel Societati cedere postquam summa ad instar dotis collocata fuerit. Per obitum deinde sodalis, Religioni vel Societati acquiritur proemium. Alumnus Ordinis et de tali proemio renuntiationem redigere debet ante professionem sollemnem ad normam canonis 581 [14].

Pensiones Religioni vel Societati cedere debet alumnus usquedum in ipsa permanet; sibi acquirit si Religionem vel Societatem desererit [15].

c) post servitium.

Expleto tempore servitii militaris et peracto servitio, alumnus per aliquod experimenti tempus (non infra trimestre et non ultra annum) sub regimine vitae communis et in votis temporariis permanere debet antequam ad professionem perpetuam simplicem vel solemnem accedere valeat, etiamsi jam, ad normam constitutionum, triennium vel quinquennium vel etiam sexennium integre compleverit [16].

B) Ex parte Superiorum majorum:

a) ante servitium militare.

Tempestive examinare et judicare ad normam constitutionum debent Superiores majores cum consilio utrum alumni digni sint ut vota vel promissiones conservent tempore servitii et, quatenus affirmativa fuerit conclusio, id concedere possunt si petierint illi [17].

---

[12] Ibid., art. 4, par. 4.

[13] Ibid., art. 5, par. 1.

[14] Ibid., art. 5, par. 2, 1°.

[15] Ibid., art. 5, par. 2, 2°.

[16] Ibid., art. 6.

[17] Ibid., art. 2, par. 2.

b) tempore servitii.

Superiores majores cum consilio judicare debent utrum opportunum sit concedere ut vota vel promissiones suspensa revivi-scant vel quae pergunt suspendantur [18].

Curare ipsi debent ut omnia a jure seu communi seu particulari verificetur quoad admissionem ad professionem temporaneam renovandam, ut necessariae delegationes adsint si vota sub potestate et disciplina militari emittuntur; professio temporanea erit tunc renovanda ad annum vel ad triennium, juxta constitutiones, usque ad finem servitii militaris etiamsi ita superaverit sexennium.

Curent etiam Superiores ut accurate computetur tempus in votis transactum ad effectum subsequentis professionis perpetuae [19].

Vigilare ipsi tenentur ut, in quantum possibile est, alumni obligationem status religiosi cum statu militari compatibiles adimpleant [20].

Ad normam juris procedant iidem Superiores si quis sodalis causas non admissionis vel etiam dimissionis dederit [21].

Vigilare tenentur Superiores majores ut leges paupertatem respicientes ad unguem serventur [22].

c) post servitium.

Curent Superiores majores ut, accurate computato tempore in votis vel promissionibus expleto et convenienti transacto experimenti tempore post servitium, aequum feratur, ad normam constitutionum, judicium de alumno admittendo ad professionem perpetuam simplicem vel solemnem aut ab ipsa excludendo [23].

4. Condicio juridica juvenum alumnorum ad militiam vocatorum.

Pro toto tempore servitii militaris, alumnus juridice absens est a domo cum effectibus absentiae [24] non vero exclaustratus sicut pro religiosis votorum perpetuorum ad militiam vocatorum die 23 januarii 1940 declaravit Sacra Congregatio de Religiosis [25].

---

[18] Ibid., art. 2, par. 3.
[19] Ibid., art. 4, par. 2.
[20] Ibid., art. 4, par. 1.
[21] Ibid., art. 4, par. 4.
[22] Ibid., integrum art. 5.
[23] Ibid., art. 6.
[24] Ibid., art. 4, par. 1.
[25] cf.: Schaefer, *De Religiosis*, 1940, n. 671.

5. Extensio decreti et relatio ad jus anterius.

Sese extendit decretum « *Militare servitium* » ad omnes juvenes alumnos, qui primitus ad militiam vocati, nondum votis aut promissionibus perpetuis seu definitivis augentur [26].

Ad novitios quod attinet, decretum declarat eos veluti Religioni vel Societati addictos pergere et novitiorum privilegiis frui nisi legitime fuerint dimissi vel ipsi Religionem aut Societatem deseruerint; novitiatum tamen denuo, ad normam canonis 556, perficere debent post expletum servitium militare [27].

Propter dubia ab antiqua legislatione creata circa professionum validitatem, decretum opportunissime statuit: « Professiones omnes, hucusque contra praescripta Decreti « Inter reliquas » et insequentium declarationum emissae, per praesens Decretum ad omnes canonicos effectus sanantur » [28]. Talis sanatio in radice omnes effectus « ex tunc » producit.

Clausula finalis abrogat privilegia seu concessiones in hac materia [29]. Immutata tamen remanent praescripta codicis in canonibus 141, 188 6°, 987 5° et jus particulare.

D. M. Huot, s. m. m.

---

[26] Decretum, art. 1 et 7, par. 1.
[27] Ibid., art. 7, par. 2.
[28] Ibid., art. 8.
[29] Ibid.

JURISPRUDENTIA

SACRAE ROMANAE ROTAE

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

De simulatione et metu reverentiali

(Sententia diei 27 febr. 1956)

Facti species.

Cum Magdalena, mulier nubilis, prole illegitima onerata, in domo Marchionissae X., famulatum honeste exerceret ad se et filium sustendandos, cognoscere potuit, in quadragesimo tertio aetatis anno constituta, Aemilium quemdam, quinque annis juniorem: qui, tunc temporis, stabili munere adhuc carens, ostiatim subdole mercabatur, coëmpta offerens, praesertim quae ad victum necessaria sunt, et in publicis nundinis rarefacta erant ob immanis belli exitus atque effectus.

Certo quodam die, currente a. 1945-46, cum Aemilius Magdalenae aperuisset difficultates, quibus angebatur, in tuto exquirendo domicilio, ac simul conquereretur de sua valetudine non satis firma, propter quod et peculiaribus indigebat curis , obtinuit ut hospes stabilis atque conviva in domum Marchionissae X. reciperetur: apud quam, secluso ac remoto cubiculo gratis frui potuit, quin imo et curas habuit, ad valetudinem plene reficiendam.

Cum talia contingerent, inter Magdalenam et Aemilium, sensim, ad fornicarium commercium instaurandum et prosequendum perventum est. Exinde, instantiae atque pressiones mulierum, i. e., sive Marchionissae, sive famulae, ut res matrimonii celebratione sanaretur: quibus, tamen, Aemilius, per annos quidem, constanter ac firmiter restitit, gratum quidem se dicens ob recepta beneficia, nuptiis autem ineundis nullimode dispositum, imo vere adversum.

Hisce haud obstantibus, mane diei 9 augusti 1947, in paroecia S. Jacobi, a Marchionissa ex industria electa, Aemilius, velut vi quadam abstractus seu abreptus, postquam parocho aperte significasset *se nolle matrimonium inire,* tandem, novis mulierum suggestionibus pressus, etiam jurijurando de libero consensu antea subiectus, ad verbum sacramentalis consensus, cum Magdalena mutuandum, se induxit.

De plano, effectus illi subsequuti sunt, qui a prudente quovis homine praevideri ac praenunciari potuissent. Utrum vir maritali jure umquam usus fuerit, difficile dictu est: nam, muliere affirmante, ipse praefracte negat. Id autem pro certo teneri debet: nempe, vix non illico virum mulierem despexisse, tamquam uxorem eam non agnovisse, atque, non multo post, ipsam dereliquisse ac repudiasse, alteri mulieri adhaerendo.

Proposuit, insuper, libello oblato Tribunali P., causam de nul-

litate vinculi, sive ob simulatum consensum, sive, si et quatenus, ob metum gravem, quem in ordine ad contrahendum, ex parte praedictarum mulierum, passus est, necnon ex parte patris sui.

At, contrariam sententiam, quoad utrumque, suscepit sub die 1 jun. 1950.

Sanctam Sedem cum appellasset, res in primo turno Rotali pertractata fuit: a quo, die 14 junii 1955, exclusio simulationis capite, *de metu reverentiali gravi,* in viro, constare sententiatum est, ideo de matrimonii nullitate.

Appellante, pro suo munere, Defensore vinculi, in hac tertia instantia de metu solummodo, primo tempore, disceptari potuit.

Patres autem praesentis turni, aeque omnibus perpensis, decreto interlocutorio dato die 21 decembris 1955, dubia haec, ex officio, discutienda mandarunt, videlicet:

1°) - *An nova causae propositio admittenda sit quoad caput asserti simulati consensus, in viro, et, quatenus affirmative:*

2°) - *An sententia Rotalis diei 14 junii 1955 confirmanda vel infirmanda sit quoad utrumque caput allatum.*

Denuo, itaque, citatis partibus ac Defensore vinculi, dubiis praedictis subscriptum fuit, et hodie, ad ea discutienda ac diluenda procedendum erit.

I. - De nova causae propositione.

In Jure et in Facto.

Quibus sub condicionibus, causae de statu personarum, duplici jam edita sententia conformi, iterum pertractari possint ac debeant, patet ex cann. 1903 et 1989.

Aliquid novum, nempe, adduci debet: quod quidem grave sit, non vero gravissimum. Sufficit ut, vi novi istius, causa ulteriore consideratione ac studio indigna non appareat: esto ad motiva tantummodo, et ad rationes decidendi, reformanda, eademque ad normam legis (in praeteritis, forte, non aeque invocatae) rectius exponenda.

Nec interest quod partes, laesionem juris non advertentes, sententiarum jam prolatarum reformationem haud invocent: quoties enim bonum publicum et animarum salus in discrimine est, Judex, abs dubio, et potest et debet, per directum interventum, in quolibet causae stadio, remedium juris afferre.

In praesens, ut mox e subsequentibus patebit, errores aliqui, sive juris sive facti, in praecedentes sententias irrepserunt: quibus sanandis, causam ex integro, et ab imis, denuo videndam ac pertractandam esse, Patribus visum est.

II. - De simulatione et metu.

A. - In Jure.

Matrimonium, in genere, nullum declarari non posse ob simulationem totalem, simulque ob metum, in eodem nupturiente, ex ipsa ratione, praeter quam ex constanti jurisprudentia, evidens est. Quod et praeclara sententia Rotalis appellata adnotandum esse censuit.

De simulatione, ubi totalis consensus deficientia verificetur, pertractat can. 1086: per quem statuitur quidem praesumptio conformitatis inter actum internum et signa externa, quibus externe consensus promitur, at sancitur invalidum esse vinculum, quoties constet verba aut signa consensus externe prolata fuisse, interne, vero, matrimonium ipsum reiectum ac denegatum. Equidem, non per merum verborum sonitum, nec per quorumcumque gestorum ac signorum externam apparentiam, matrimonialis consensus perficitur, sed per verum actum voluntatis internum, legitime manifestatum, quo jura et officia coniugalia traduntur-acceptantur (c. 1081).

Haud infrequenter, proprie metus est qui simulando consensui ansam praebet: nec tantummodo gravis metus, sed et levis, et etiam, interdum, metus qui ab intrinseco ortum ducit, pariterque trepidatio illa, esto gravissima, qua omnino *juste* animus agitatur, cum malum ei prospicitur tamquam poena, aut tamquam naturalis effectus pessimorum patratorum facinorum. Unde, in hisce et in similibus, metus qui per se non satis esset ad irritandum consensum, efficax potest esse simulandi causa. Imo, aliquando, tam efficax, ut simulationem vehementissime praesumere sinat, ac fere jubeat.

Probationem simulationis quod attinet, cum centies in decisionibus Rotalibus pertractata fuerit, vix Patres recolendum mandarunt huiusmodi probationem perfici per confessionem simulantis, praesertim extra judicium et insuspecto adhuc tempore (melius, si in incontinenti) redditam; per illustrationem causae simulandi; per testimonia fide digna; per documenta; per circumstantias et adiuncta, quae, nonnisi simulationem admittendo, intelligi atque explicari possint.

Ad metum, dein, propius accedentes, relevarunt Domini ex ipso naturae jure utique proflui quod consensus, per quem maritalis contractus perficitur, libere edatur; tamen, Ecclesiae lege, accurate condiciones determinatas ac descriptas fuisse, sub quibus libertatis defectus matrimonium irritat. Nam, descriptis apprime his condicionibus in can. 1087, immediate additur: « Nullus alius

metus, *etiam si det causam contractui,* matrimonii nullitatem secumfert ».

Per quod, sane, non solum non excluditur, sed expresse agnoscitur et admittitur posse quempiam talibus in adiunctis versari, ut praecise propter trepidationem, gravem vel levem, in quam incidit, se ad matrimonium celebrandum inducat, et nihilominus valide contrahat.

Unde, non sufficit, pro nullitate meticulosi consensus agnoscenda, ut ostendatur nupturiens sub gravi metu trepidasse atque contraxisse, nisi insimul evincatur metum injuste ipsi inflictum fuisse, et ab extrinseco, idest a causa libera, nullumque patuisse facile effugium (facile — inquam — juxta patientis criterium et aestimationem). Quod ultimum per verba illa legis notissima exprimitur: « ...a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium » (cfr. cit. can.).

Quibus attente riteque perpensis, difficile admitti posse Patribus visum est principium illud in sent. Rotali appellata sic simpliciter enunciatum: « Matrimonium libere contrahendum est: ubi autem cessat libertas, urget injustitia ». Videretur, enim, per tale principium, vel metus justi existentia non admitti, vel negari quod libertas cessare potest etiam per metum justum.

Sed aliquid peculiariter de metu *reverentiali,* de quo tantum in praesentiarum agendum erit, addere oportet.

Legimus in sententia Rotali appellata: « Inter diversa metus genera, peculiarem locum obtinet metus reverentialis, in quo periculum, quod timetur, est indignatio vel offensio eorum, quibus reverentia debetur. Reverentia autem non solum parentibus debetur, sed etiam iis qui praesunt, iisque omnibus quibus peculiari amoris et gratitudinis nexu coniungimur, quibus scilicet offensis, officio nostro graviter defuisse videri possumus ».

Quod nimium, sane, videtur: nam haec, sic prouti jacent, et difficile intelleguntur, et non plane, pro juridice veris, acceptari possunt. Enimvero: reverentiam et obsequium, in genere, non modo personis loco citato enumeratis, sed omnibus hominibus deberi, pacificum est. Sed non ab omnibus quibusvis, sic et simpliciter, metus reverentialis infligi potest. Imo, si normae, a probatis AA., et a jurisprudentia Rotali datae, apprime spectentur, ne ab illis quidem, generaliter loquendo, infligi potest « quibus offensis officio nostro graviter defuisse videri possumus ».

Nisi, quoad nos, isti qui mandant, hortantur, premunt, legitime fruantur « potestate » quadam, vi cuius ipsis *jus* sit jubendi, atque nobis subditis *officium* oboediendi atque obsequendi. Innititur, enim, reverentialis metus *in abusu potestatis,* apud eos qui

potestate re vera gaudent, et *in reverentia ac subiectione nimia,* ex parte eorum, qui reapse, aliquo modo, subditi sunt.

Habes in D'Annibale: « Et (reverentialis metus) ille dicitur, quem auctoritate sui facit is, *in cuius potestate sumus*: puta, praelatus, domibus, pater, maritus, tutor. Definitur: « Futuri mali existimatio, quod ab his metuimus, *in quorum potestate sumus* »...

Itaque timor reverentialis dicitur cum aliquis patris, domini etc. indignationem (quae profecto malum est) metuit, licent absint verbera aut minae. Quae, si gravis et diuturna futura sit, malum grave, ideo et metus gravis non immerito existimabitur. Et, ut generaliter dixerim, quod quis re vera facit *coactus paterno imperio,* timore reverentiali fecisse dicendus est » (*Summ. Theol. Mor.,* I, § 138, n. 16).

Non aliter S. Alfonsus: « Metus reverentialis est ille, quo quis veretur resistere *ei cui subiicitur,* nempe patri, matri, avo, socero, marito, regi, domino, praelato, tutori et curatori, ut communiter docent AA. cum Sanchez » (*Theol. Mor.,* 1912, tom. IV, lib. VI, tract. VI, n. 1056).

At relevare praestat id quod laud. Doctor ex compluribus AA. desumit, loco citato, immediate pergens: « Item, etiam patruo aut patrueli, vel fratri majori, si cum eis metum passus habitet et ab ipsis alimenta recipiat (Sanchez et Bosius cum Pontio, Gutierrez, Menochio etc.) ».

Per quod, sine dubio, adhuc clarius innuitur hoc pecularissimum metus genus, nimirum *reverentialem,* nonnisi dari posse *in inferiore,* cui ex justitia obligatio competit oboediendi ac reverentiam exhibendi, relate ad *praelatum quemvis,* cui jus est imperandi et jubendi.

Hanc doctrinam S. Rota constanter tenuit, ut videre datum est in compluribus decisionibus, ne exclusis quidem illis, quae ab appellatis Patribus expresse citantur. Sane, in una coram Wynen, diei 3 decemb. 1930, inter alia scriptum reperitur: « ... metum reverentialem incutere possunt *nonnisi* illae personae, pater, mater, herus ecc., quibus *jure aliquo subiectionis contrahens subest* » (dec. LVIII, 1930, n. 3, p. 641).

Nec dissimiliter in una *Chicagien.,* coram Canestri, diei 30 april. 1943: « Cum *parentes* et *Superiores* in manu tenent tam fragiles debilesque *subditorum* voluntates, summa cum cautela, praesertim in gravissimo nuptiarum negotio, illas pertingere debent, si injuriam invaliditatemque actorum devitare intendunt etc. ».

B. - In facto.

1. - *De metu reverentiali.*

Sententia Rotalis appellata perspicue factorum sequelam exponit, ut dein inducat Aemilium, die matrimonii, sub gravi trepidatione haerentem ac nutantem, consensum edidisse *ex metu reverentiali qualificato,* ideo irritum.

Auctores huiusmodi reverentialis metus ponit patrem Aemilii et Marchionissam X.

Sed huic thesi Patres praesentis turni, salvo obsequio, subscribendum non esse rati sunt.

Quoad actoris patrem, relevetur in primis quod Aemilius, tempore nuptiis proximo, annum aetatis suae fere quadragesimum attigerat, et quod longe a patre habitualiter vivebat, quoad victum et necessaria vitae prorsus independens. Quin imo, ipsi onus erat patri succurrendi, eique alimenta praebendi. Nunc, autem, jam his tantummodo attentis et perpensis, reverentialem metum, in tali filio, relate ad talem patrem, qualificari posse, fere excludendum est.

Nullibi, insuper, apparet patrem actoris fuisse hominem indolis durae atque imperiosae et ad instandum ac premendum proclivem.

Aliunde, de filii *nimia* oboedientia, reverentia et obsequio, erga patrem, vestigium quodlibet, in tabulis, frustra quaereretur. E contra, proditur pater ut homo senis, flebilis, querulus ac lacrimabundus; et filius ut nequaquam sollicitus et pietate insignis: qui, per fas et per nefas, id quod sibi placuit constanter facere sategit, aut versutiis, aut falsis promissis, aut aliis fallaciis adhibitis, et eo pervenit ut patrem e domo mittere non erubuerit. ad locum faciendum indignae concubinae.

Referuntur, in sent. Rot. appellata, ut Aemilii filiale obsequium extollatur et in evidentiam ponatur, verba illa cuiusdam epistolae, ab eo Magdalenae datae: « Mio padre è sempre mio padre, ed è l'unica persona che io abbia ancora fortunatamente al mondo, dopo la terribile catastrofe di mamma. Egli mi fa una pena santissima, ed ha urgentissimo bisogno d'essere sistemato, perchè non è più in salute molto florida ».

Sed perperam verba haec adducuntur: Aemilius namque, iis callide utebatur, mense januario 1946, non ad ostendendum sui obsequii filialis sensus, sed ad quaerenda effugia adversus Marchionissam et adversus Magdalenam, quae pro nuptiarum celebratione instabant: ut bene patet ex contextu epistolae citatae, et ex actorum complexione.

Utcumque, dato, minime vero concesso, quod pondus aucto-

ritatis paternae filium impellere potuerit, diebus nuptias antecedentibus, stat factum, ab ipso Aemilio revelatum, quod, mane diei celebrationis, pater in favorem filii se convertit: « ... mio padre — narrat Aemilius — venne a rilevarmi al Ministero (mane diei celebrationis). Presagendo qualcosa di grave, non volevo recarmi a casa. Mio padre aveva settantaquattro anni, e pretese che lo accompagnassi; però, strada facendo, gli aprii tutto il mio animo, ed egli dovette capire che, con quel matrimonio, si veniva a costituire la mia infelicità. Perciò, giunti a casa, siccome la Marchesa disse subito che quella mattina si doveva sposare avendo essa tutto preparato, mio padre voleva parlare a solo con la Marchesa, ma essa, *intuito il suo cambiamento,* non stette a sentire. Maddalena sospinse mio padre in una camera, dove anch'egli prese a piangere ».

Quod, si postea, ad ecclesiam, denegato ab Aemilio matrimoniali consensu — ut videbimus — pater adhuc flevit et conquestus est, id non ex voluntate filium cogendi repeti debet, sed ex dolore ob scandalum ortum et ob incommoda tot et tantis personis inutiliter allata, tandem ob filii angustias et infelicitatem. Non enim verba, in ore patris actoris, talibus in adiunctis, a testibus insuspectis, posita, ea sunt quae injuriam ac vexationem gravem in filium suspicari sinant.

Igitur, ipsa depositio actoris amandandum jubet quemlibet metum, qui a patre incussus dici debeat, quique in consensum promendum influxisse dicendus sit.

Res in melius non progreditur, ubi trutinae revocetur metus, qui a Marchionissa pratenditur incussus.

Prae primis, ex ore Aemilii huiusmodi coactionis opus auscultandum est.

Quidquid testes ad rem declarent, stat quod Aemilius numquam retulit Marchionissam ipsi « aut-aut » imposuisse, idest ipsi dixisse tono minaci: « aut Magdalenam ducas, aut e domo exeas ».

Si tali modo mulier locuta fuisset, ac tali modo, consequenter, egisset, nedum justitiam non violasset, et injuriam nullam Aemilio attulisset (nam quovis titulo non tenebatur ipsi hospitium offerre, vel in offerendo pergere), sed simpliciter id, quod sui stricti juris et muneris erat, operata fuisset. Jus enim et officium sacrosantum illi erat removendi foedum concubinatum, quem Aemilius, hospitium vilissime prodens, in ipsa domo instauraverat, et in quo tranquille pergebat, absque ulla intentione obtruncandi.

Sed Aemilius — iterum notandum est — de praetenso « aut-aut » nihil habet; potius refert Marchionissam pluries et instanter ipsi ut Magdalenam duceret proposuisse, itemque ut prolem illius, tamquam suam, agnosceret, ad effectum legitimitatis illi procurandae, et addit: « La proposta della Marchesa mi turbò, perchè non

avrei mai pensato a sposare Maddalena, ma anche perchè mi fu espressa in termini che mi sembrava constituissero *velatamente* un congedo da casa, qualora mi fossi rifiutato ».

Et adhuc: « Io non mi espressi apertamente... cercai sempre di tergiversare, unicamente per il timore d'esser messo fuori di casa. Non potendo trovare un alloggio, avrei dovuto dormire in albergo. Il mio stipendio non mi consentiva ciò, perchè, pagate cinque o seicento lire al giorno per l'albergo, quasi nulla mi sarebbe rimasto per vivere ».

Si ad haec attendamus, nihil umquam, explicitis verbis, Aemilio comminata est domina domus, sed ipse idem suspicatus est eiectionem non longe abesse, quatenus Magdalenam non duxisset

At, rebus sic se habentibus, condicio non talis erat, cui effugia complura, nec tam incommoda nec tam ardua, non paterent. Porro, potuisset Aemilius pretium cubiculi Marchionissae offerre et concubinatum, firmo decreto, abrumpere: quo in casu, juxta vigentes tunc leges et consuetudines, nemini ei dimissionem imponere licuisset. Etiam potuisset, absque magna difficultate, alio se conferre, sicut et ante nuptias et post nuptias de facto egit (cfr. depositio Marchionissae).

Maluit, e contra, manere, et hospitio gratuito frui: non quia impossibile vel arduum fuisset quodlibet effugium, sed quia curis domesticis, et curis medicinalibus, quibus circumdabatur ope mulierum illarum, abrenunciare ipsi durum erat; insuper, quia nimis facile libidini satis facere poterat. Non ergo eligere coactus est matrimonium (si tamen coactus!), ut se a metu, nempe e mali comminatione, liberaret; sed suo marte elegit in ea vitae condicione permanere, in qua adhuc praetensae coactionis continuatio possibilis fieret: et id voluit, vel maluit, quia commodis et bonis, quibus in illa vitae condicione fruebatur, abrenunciare nolebat. Sed metus aut coactio huiusmodi (si coactionis nomen adhuc sustineri potest!) non ea est, quae a SS. Canonibus ut irritans sancitur.

Item, quaelibet consideratio cadit, relate ad huiusmodi, si bene attendatur inter Marchionissam et Aemilium relationem quamcumque, per quam metui *reverentiali* locus fieri valeat, ne concipi quidem posse.

Non enim potestate quavis Marchionissa in Aemilium pollebat, nec Aemilio onus aut officium peculiare inerat eius standi mandatis, vel eius *diuturnam et gravem indignationem* pertimescendi.

Obiici posset *de facto* Marchionissam potestatem huiusmodi sibi arripuisse, ac *de facto* Aemilium tali potestatis abusui resistere non valuisse, et, contra factum, argumenta quaelibet non tenere, seu propria vi destitui.

Optime quidem: negare non auderemus, in genere, adesse ho-

mines, qui, aut per fas aut per nefas, voluntatem suam, relate ad quosdam alios, ita, idest tam auctoritative, pandere sciunt, ut, quocumque modo, ab illis iisdem acceptandam et exsequendam obtineant.

Sed, hisce in casibus, qui a casu Nobis subiecto valde distant, locus fit non metui *reverentiali* (qui, iterum notamus, in abusu potestatis illius, qui re vera praeest, fundatur, et in nimia reverentia illius qui reapse, ex justitia, subest), sed metui *communi* (si impositionem cum minis alicuius mali quis cumulaverit), vel etiam *totali defectui consensus*, quem etiam absque minis, per solum voluntatis alienae pondus, aliquando verificari posse, inauditum non est.

Dices: actor noster non fuit homo ad normam prorsus constitutus.

Quod per peritiam psychometricam, ab egr. prof. E., de mandato Patrum praecedentis turni, ostensum fuit. In relatione cl. periti legitur: « Il sig. Emilio è uno psicopatico, suggestionabile, timido, indeciso, ipobulico, d'intelligenza prossima alla mediocrità... Di fronte a situazioni particolarmente gravi, egli può essere incapace di superare difficoltà di una certa importanza... la sua timidezza, insicurezza, incompetezza, lo rendono bisognoso di appoggio e di protezione. Avviene così che alcune persone esercitano su di lui azione suggestiva notevole... Dai documenti in atti, dall'esame del soggetto con reattivi psicologici, e dall'interrogatorio, si può, secondo scienza e coscienza, dedurre che il sig. Emilio, quando, addì 9 agosto 1947, contrasse matrimonio con la sig.ra Maddalena, *trovavasi in tale stato, da non avere la capacità di liberamente determinarsi* ».

Quae verba novissima, dein, per judiciale interrogatorium, peritus explicat et interpretatur « *come incapacità di opporsi a un'imposizione* ».

Non omnia et singula periti asserta Patribus placuerunt. Verbigratia: non tam debilis, timidus, hypobulicus, Aemilius ab actis proditur, qui per annos resistere valuit pressionibus Marchionissae et Magdalenae, istarum artificia nunc callide nunc fortiter evertens; quique, die celebrationis, coram parocho, suam adversam voluntatem aperire valuit, quod quidem rarum est etiam inter homines impavidos!

Nec tam mediocris intellectus revelatur ille, qui litteras conscripsit vix non semper ordine fulgidas, discretione ac perspicuitate refertas, quinque, non absque sagacia, mercaturam exercuit, et munus stabile sibi procuravit, et fixum domicilium curasque optimas, gratuito quidem, tempore illo pessimo, adeptus est; quin imo, sollertia et dexteritate certo modo miranda, praetextibus novis

semper in medium adductis, effecit ut artes mulierum, nuptias exoptantium et pro acceleranda celebratione, prementium, in vanum caderent, et ipse, in fruendo earum curis et auxiliis, tranquille pergere posset. Veniat quis, intellectu acriore dotatus, et videamus an omnia ista, simul, consequi valeat, ac sibi per tantum temporis servare!

Sed, denique tandem, Aemilius, non obstantibus repulsionibus ipso celebrationis mane, sive in domo, sive in ecclesia, repetitis, manus victas dedit, et consensum sacramentalem per ritualia verba pronunciavit. Est factum non negandum, et negare nolumus.

Nec infitiamur, verba periti de huiusmodi acceptantes, quod ille, in actu celebrationis, « trovavasi in tale stato, da non avere la capacità di liberamente determinarsi », sed defendimus statum huiusmodi *non* a trepidatione illa ortum habuisse, cui *metus irritans*, presse in jure descriptus, dat locum et causam. Quod in mox subsequentibus plenius apparebit.

2. - *De simulatione.*

De simulatione, brevissime appellati Patres se expedierunt, scribentes: « Quamquam actor asserit se, ipso mane nuptiarum, dixisse parocho « che io ero forzato al matrimonio e non volevo farlo », idque plures testes confirmant, cum tamen postea matrimonium contraxerit, neque ullum ex testibus afferatur argumentum ad demonstrandum actorem, per positivum actum voluntatis, interius exclusisse quod perficere videretur exterius... caput nullitatis Patres tamquam non probatum respuunt ».

At, Judices huius tertiae instantiae in contrariam prorsus sententiam abierunt. Quid magis clarum, quid magis positivum, in actore, quam actus positivus ille, cuius gratia, per annos quidem, a die quo prima nuptiarum propositio a Marchionissa facta est, usque ad diem celebrationis *inclusive*, matrimonium reiecit et *se illud nolle*, volentibus et nolentibus audire, declarare non dubitavit?

Insuper, quod bene advertendum est!, se matrimonium nolle constanter dixit *non* ob motiva emendicata, futilia, irrationabilia, vel transeuntis et fluxae naturae, sed ob motiva solida, quae, in aestimatione proferentis, valore non carent. Aemilius candide confitetur se veram aversionem in Magdalenam expertum non fuisse: « Questa — dicit — come donna di casa e come carattere, nulla lasciava a desiderare ». Ideo, ipse mulierem odio non habebat; quin imo, saltem ob receptas ab ea curas et auxilia, gratam habebat. Insuper, amplexibus eius, non aegre saltem, fruitum esse praesumendum est. Sed proprie *matrimonium* cum tali muliere, quovis pacto, tota anima totisque viribus, excludebat: et quia mulier senior erat quam ipse, et quia prole illegitima onerata, et

quia, forte, ipse suspicabatur quod vir, cuius opera mater devenerat, adhuc in visis esset, non obstante Magdalenae contrario asserto. Motiva haec a nemine sperni possunt et de se perpetua sunt, unde rationabili cuidam aversioni et repulsioni, quoad matrimonium celebrandum, locum dare potuisse, ac re vera dedisse, immerito dubitaretur. At, manentibus motivis, etiam aversionem et reiectionem permansisse, credere quid vetat?

Imo, credere cogimur ipsa factorum vi. Aliis verbis: voluntatem illam Aemilii, non quidem habitualem tantum, sed positivam et actualem, qua matrimonium respuebat, toties, ac tam firmiter ab eo, currentibus annis, manifestatam, virtualiter perseverasse tenendum est in momento emissionis consensus, nisi de retractatione expresse atque invicte constet. Adfuitne, in casu, *valida* huius voluntatis retractatio?

Si quaevis adfuit, illa in prolatione verbi sacramentalis (« sì ») agnoscenda est. Sed, ut valor huiusmodi sacramentalis prolationis convenienter exigi possit, ad omnia et singula adiuncta praecedentia, concomitantia, et subsequentia oculi attentissime vertendi sunt: non quidem ad ea, prouti ab actore referuntur (qui bona vel mala fide veritatem subvertere posset), sed prouti a testibus insuspectis dantur, et ab evidentia factorum.

Adnotetur ac reprobetur, ante omnia, agendi ac procedendi modus in parocho celebrationis: qui a Marchionissa, de condicto, excluso parocho competenti, electus fuit, quia, nexu quodam gratitudinis cum sibi ipsi ligatum resciret, eum facilem socium, in praeconstitutis exsequendis, non immerito existimabat: qui, a confratribus admonitus de praevalenti et indebita, in hoc matrimonio, Marchionissae voluntate — ut ipse idem confitetur — ac de renitentia Aemilii certior factus, eo cautius procedere debuisset, et nonnisi praemonita Curia, et obtentis ab ea instructionibus ac mandatis: qui, etiam a Praelato suo religioso, ipso illo mane, consiliis ac monitis actus ut caveret ab adsistendo et benedicendo talibus nuptiis, nihilominus, prudentiae legem posthabendo, omnia in vanum posuit, atque Aemilio credendum esse tenuit, matrimonium nunc exquirenti, dum paulo ante, adhuc, adversum et contrarium apertissime se praebuerat.

Bene Superior religiosus: « Gli suggerii, (nempe parocho) di dare tempo a che gli animi si placassero, e che, subentrata la calma e la serenità, l'uomo decidesse in piena tranquillità di spirito se sposare o no ». Non aliud esse poterat verbum et decretum prudentis hominis, in similibus.

At, indutiae huiusmodi Aemilio datae non sunt, quae, volenti aut nolenti, absolutissime imponi debebantur. Unde, verbum sacramentalis consensus ab eo prolatum fuit non adhuc cessatis, vel

remissis, auris illis asperrimis ac reflantibus, quae, paulo ante, omnia subverterant quaeque ut propitiae haberi non poterant pro consciente, tranquilla et expensa retractatione illius *positivi* actus voluntatis, quo vir idem, tam clare et tam firmiter, usque ad momentum mox praecedens, matrimonium in se, reduplicative ut tale, excluserat, noluerat, reiecerat.

Nec praetermitti debet modus, quo Aemilius ad ecclesiam accessit.

Fuit enim — sicut ex indubiis testimoniis habemus — quasi physice tractatus, adductus et exportatus. Noctem pervigil duxerat, sui muneris officiis addictus; domum lassus redierat, ideo magis quam solito resistendo impar. Pater eius sequelam factorum fideliter reddit, veluti vividis ictibus ea super tabulam pingens: « La mattina del giorno fissato, (la Marchesa) m'inviò alla Banca, ove Emilio aveva lavorato durante la notte, perchè lo conducessi a casa. Egli non voleva venire, ma ve lo indussi. Giunse a casa *come un cadavere*, tanto che dovette gettarsi sul letto, *protestando che non se la sentiva*... A me mi allontanarono, rinfrancandomi con un cordiale. Maddalena, con un'altra donna, di cui non ricordo il nome, entrata in camera di Emilio, lo rivestirono e lo condussero nella chiesa.

Nel recarsi in camera sua, una delle donne mi scansò violentemente. Nel recarci in chiesa, uscendo di casa, dissi alla Marchesa che quello non era un matrimonio, *ma un funerale*... Emilio entrò in chiesa pallidissimo... andò a confidarsi col parroco, e, poco dopo, il parroco venne dalla Marchesa a dichiarare che il matrimonio non poteva farsi, essendovi contrario Emilio...

Tanto io, come la Marchesa e un'altra donna, amica di Maddalena, prendemmo a rimproverarlo e ad incoraggiarlo a sposarsi, e ci si riuscì. Fu richiamato il parroco, che, accertatosi del cambiamento d'animo d'Emilio, procedette alla celebrazione del matrimonio ».

Sed, facile intelligitur specie tantummodo, non re, Aemilii animum mutatum fuisse, vel, si magis placet, non eius animum et voluntatem, sed verba eius simpliciter, ac eius gesta externa, diversa ac mox antea, devenisse. At, verba et signa visibilia, per se, nihil efficiunt, nisi reali atque interiori voluntatis praecedentis retractationi (quam adiuncta excludendam jubent) apprime respondeant.

Audiatur, ulterius, insuspecta testis Dominica, quae, etsi conventae amice succurrere satagens, concedere tamen cogitur: « Siccome ero amica di Maddalena... fui invitata a prendere parte al matrimonio di essa con Emilio.

La mattina, mi recai in casa X. per andare a S. Giacomo, ove

sarebbe stato celebrato il matrimonio. Emilio, che alloggiava in un semi-interrato dell'appartamento della Marchesa X., non era pronto, *e non era nemmeno deciso a sposare.* Ricordo che Maddalena si portò nella camera di lui per esortarlo a vestirsi e andare a S. Giacomo. Io non mi recai in camera di Emilio, ma rimasi nel corridoietto, da dove sentivo le esortazioni di Maddalena, e le difficoltà che faceva Emilio per schermirsi, e non venire in Chiesa.

Emilio, insomma, *dava a dividere di non voler sposare.*

Finalmente, si fece convincere, e venne a S. Giacomo, peraltro sempre indeciso e incerto... Emilio si confessò dal Curato, e dovette dire che lo forzavano al matrimonio, perchè, dopo la confessione, il parroco si accostò al gruppo di noi donne, e dichiarò che il matrimonio non si poteva fare, *perchè Emilio non voleva sposare...*

Adesso non posso descrivere tutta la scena, che si svolse sotto i miei occhi, e nella quale ebbi anch'io la mia parte. Fu preso a dire ad Emilio che non doveva fare una così brutta figura, e non doveva farla fare a Maddalena e alla Marchesa.

Maddalena ricordava ad Emilio che aveva promesso a sua madre ecc. Il padre di Emilio piangeva... anch'io perorai per Maddalena incitando Emilio a sposare... Ed Emilio, che è un carattere debole e abulico, finì con l'arrendersi. Però si vedeva bene che non era contento, e che era *disorientato...* Ricordo che, all'uscita dalla Chiesa, Emilio bofonchiò qualche cosa che esprimeva la sua insoddisfazione... egli si mostrava *scontento e disorientato* ».

In idem ipsissimum evincendum conspirat depositio testis Caroli, qui prorsus extraneus est, et fide dignissimus, et munere testis sacramentalis functus est. Refert iste: « ...non saprei dire se fu lui (nempe parochus), od altri, a dichiarare che il matrimonio non si sarebbe fatto, perchè *Emilio non voleva...* ...la Marchesa mi trattenne, pregandomi di attendere perchè sarebbe stata fatta opera di persuasione su Emilio da parte del padre... suo padre e qualche donna si portarono in chiesa per vedere di trattenerlo e convincerlo...

A un dato momento, Emilio rientrò in sagrestia... *sembrava uno straccio* e balbettava frasi come queste: *vedremo, datemi del tempo ecc.*

Comunque, *estorsero* da lui un sì, e così il matrimonio venne celebrato...

Ho detto che Emilio sembrava *uno straccio. In quel momento non era un uomo normale,* perchè, invece di dire un no, andava annaspando e portando delle scuse, come: Ho lavorato tutta la notte; mi sento stanco; lasciatemi riflettere ancora; ci penserò un'altra volta ».

Consulto abstinemus a citando relationem factorum, prout ab utroque contrahente datur et a Marchionissa X. Et ratio patet.

Attamen, perpensis mox relatis, quae — juxta testium oculatorum expositionem — consensus emissionem, ex parte viri, praecesserunt, comitata sunt, ac subsequuta, quaeque per se non sufficiunt ad constituendum metum in lege ut irritantem descriptum: quis praesumptionem violentam non admitteret de omnimoda interni consensus deficientia? Quis, talibus in adiunctis, validae atque conscienti retractationi actus voluntatis, matrimonium negantis et respuentis, credere potest? Num aequum esset tenere illud verbum « sì », ab homine prolatum, qui describitur a testibus ut « disorientato », qui « sembrava uno straccio », qui « non era un uomo normale », qui ante prolationem restitit et, post prolationem, protestatus est (« bofonchiò qualche cosa che esprimeva la sua insoddisfazione »), vim habuisse annullandi illa alia « no », centies repetita, et quidem scienter, firmiter, corde pleno?

Quae vitam conjugalem, in intimis thalami, respiciunt, quaeque ab unoquoque ex coniugibus, certissime et unus et alia non in omnibus fide dignis, suo modo exponuntur, neque probationi juvandae neque evertendae adduci possunt.

Si amplexus coniugales reapse contigerunt, si vitam tranquillam ac laetam coniuges, aliquando, revera duxerunt, id nihil addit, nihil demit evidentiae factorum, quae ad unguem referre studuimus, quibusque invicte probatur prolatio verbi consensus, ex parte viri, in actu celebrationis, nihil aliud fuisse quam merus sonitus, vi atque effectu quolibet carens.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores definitive sententiamus, respondentes dubiis propositis:

I°) - *Affirmative, seu novam causae propositionem admittendam esse quoad caput asserti simulati consensus, in viro;*

II°) - *Negative ad primam partem, affirmative ad alteram: idest, sententiam Rotalem diei 14 junii 1955 esse infirmandam quoad utrumque caput allatum: ideo, constare de matrimonii nullitate ob simulationem totalem consensus ex parte viri, non autem ob metum.*

subs. Petrus Mattioli, *ponens*
Emmanuel Bonet
Joannes Maria Pinna

Nota. - Pars conventa expetivit novam causae propositionem; sed, argumentis, ab ea allatis, in novo Turno Rotali perpensis, petitio reiecta est.

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Sententia diei 23 jan. 1957

(De metu: eius effectus perduratio)

Species Facti. - Cum, anno 1919, familia Laurent, constans matre vidua et duobus filiis adolescentibus, aedes conduxerit, in urbe X., quae familiae Petino (in eadem fabrica domicilium habenti) pertinebant, de plano, inter utramque familiam, consuetudo quaedam instaurata est. Exinde, domina Petino, origine sicula, quae filiis pluribus gravabatur, ac cordis infirmitate affligebatur, de prole foeminini sexus collocanda, juxta patrios mores, maxime sollicita, vix non statim, puellam quatuordecim circiter annorum, nomine Teresiam, uxorem dare voluit juveni Alberto Laurent, octo fere annis seniori.

Sed restitit puella, quae, minimae aetatis gratia, nuptiis abhorrebat, praesertim cum adolescente provectioris aetatis, atque altitudinis m. 1,96.

Nihilosecius, premente matre, Teresia Albertum sibi vincire debuit, et, cum documenta pro canonica celebratione deficerent, interim, ne propitia occasio evanesceret, civili copulationi locus factus est, die equidem 24 julii 1919, apud X. Municipium.

Etsi in votis matris puellae esset quod Albertus ad tempus magis propitium et maturum vitae communis instaurationem remitteret, de facto juvenes tamquam pseudo-conjuges agere coeperunt: unde, sub die 2 augusti 1920, ex eorum contubernio, filius natus est.

At, marito in longinquis regionibus, ratione munerum, degente, permansit mulier in domo matris suae: cuius suggestionibus et urgentibus consiliis adhuc cedens, tandem, obtentis necessariis documentis, ad aras accedere se aptavit, in ecclesia S. Francisci, die 7 aprili 1923.

Sed, non multo post, maritum, in Rempublicam Argentinam, ubi natus erat, redeuntem, ipsa sequi noluit, et ita coniuges ab invicem separati sunt. Quin imo, obtento civili divortio, et unus et altera novas nuptias, extra Ecclesiam, attentare non dubitarunt.

Tandem, Teresia, aetate ac consilio maturior, tristissimi suae conscientiae status pertaesa, die 28 octobris 1944, apud Curiam X., matrimonium nullitatis accusavit, ob injustum et gravem metum, sed auscultata non fuit.

Iterum libellum obtulit die 21 junii 1949, et tunc judiciali actioni locus factus est; die autem 7 julii 1952, sententia prodivit ipsi adversa.

Appellavit ergo H. A. T., et heic, completis actibus per nova interrogatoria, debitaque obtenta Apostolica delegatione, dubia sequentia, citatis citandis, proposita sunt, videlicet:

1°) - An constet de matrimonii nullitate, in casu, et quatenus negative:

2°) - An consilium praestandum sit Sanctissimo, pro dispensatione elargienda super matrimonio rato et non consummato.

In Jure. - Principia, quae causas de matrimonii nullitate, ob inflictum metum, regunt ac moderantur, tam nota sunt, ut non indigeat illa nunc expresse ac singillatim revocare. Sufficiat heic tantum recoluisse praescriptum can. 1087 C. J. C., ac Rotalis jurisprudentiae monimenta, praesertim quoad aetatem patientis, et quoad statum valetudinis inferentium: qui, non raro, per fas et per nefas, ultra debitum prospiciunt quod, per resistentiam subiectorum contra parentum mandatum, locus fieri potest praematurae infirmi parentis morti (coram Wynen, in una Antiochen. Melchitarum, die 7 aug. 1937).

In praesens, autem, cardo quaestionis disceptandae in eo poni debet, quod matrimonii sacramentalis celebratio longe post civilem copulationem, idest transactis jam annis, verificata est: cum, nempe, et pressiones maternas prorsus desiisse praesumendum est, vel, utcumque, ipsas initiale robur amisisse.

Quocirca, Patres amplectendam tenuerunt distinctionem illam, de qua feliciter legitur in una coram Mannucci, diei 11 maj 1926: inter id, nempe, quod matrimonii celebrationi causam dat, et id quod meram occasionem constituit: « Hoc posito, jam non exigitur (ad consensum ex metu invalidandum) ut vis metum causans *actu* et *immediate* exerceatur, quia nimirum duratio metus, eiusque influxus in matrimonium, non tempore aut modo aestimatur, sed *causa* ».

Quoad denunciatam autem matrimonii inconsummationem, ad effectum obtinendi, si et in quantum, *gratiam* apostolicae dispensationis, satis sit heic citasse contenta cann. 1119 et 1973, necnon « Regulae Servandae etc. », quae a Sacra Congregatione de Sacramentis, die 7 maj 1923, editae sunt.

In Facto. - De ingenio matris actricis, vere duro ac pertinaci, tot in actibus adsunt testimonia, ut superfluum videatur super his valde immorari. Refert testis Teresia: « Elle a toujours fait des mariages dans sa famille. C'est une femme nerveuse, qui a toujours fait ce qu'elle voulait, commandant à tous... Elle était très autoritaire, emportée, beaucoup nerveuse, même vis à vis de son mari ».

Quod optime quadrat sive cum origine sicula mulieris istius, sive cum cordis vitio, quo laborasse traditur. Constat, enim, in insulis mediterraneis, parentes non infrequenter anxios fieri, ultra modum et ultra debitum, de filiorum collocatione, praesertim si foeminini sexus sint: pro quibus, qui impares habitualiter retinentur ad eligendum in re tam gravi, parentes hinc et inde intervenire solent, ratione habita status patrimonialis ac multorum adiunctorum, quae, ipsorum judicio, primo loco ponenda sunt.

In casu, autem, ut passim ex actibus eruitur, mater ista summopere timebat ne, propter cordis infirmitatem, florens adhuc et vegeta mortem obiret, filias innuptas relinquens: « Il mio cuore è legato a un filo »: en verba, quibus jure vel injuria utebatur ad flectendas quaslibet, intra domesticos parietes, resistentias, et ad disceptationes uno ictu obtruncandas. Dicit actrix: « ... non tollerava in nessun modo d'essere contraddetta... Se veniva in qualche modo contrariata, aveva delle crisi e perdeva i sensi. Mio padre ne rimaneva impressionato, e perciò non osava contraddirla in alcun modo. Noi figli eravamo spaventatissimi, perchè le volevamo bene e temevamo di perderla... Io rimanevo molto impressionata dalle sue parole. Non volevo assolutamente che morisse. Mio padre cercò invano di difendermi e di far comprendere a mia madre che questa faccenda del matrimonio era una cosa irragionevole, come tante altre che lei voleva... »

Cum muliere talis indolis, quae constanter abutitur suae valetudinis condicione ad imponenda decreta voluntatis suae, arduam fieri quamlibet disceptationem ac discussionem, etsi rationabiliter instauratam, nemo est quin videat.

Alii testes dicunt eam filios suos tenuisse « sous sa poigne », et patrem definiunt « très saint homme », vel « trop bon »; dum, ex adverso, eo usque perveniunt nonnulli, ut matrem « le commandant », vel « le dragon », communiter appellatam referant.

Et qui ita de parentibus testati sunt, univoce etiam deponunt circa Teresiae ingenium mite, debile, timidum, ad resistendum impar, quin imo et ad recte considerandum atque exigendum, ratione immaturae prorsus aetatis: « La petite s'est mariée — dicit dna Teresia — sans savoir ce qu'elle faisait, et uniquement pour éviter des scènes penibles avec sa mère ».

Item Armandus, actricis frater: « Fu assai facile influenzare una fanciulla di quindici anni ». Et re vera haec prorsus acceptabilia sunt, nam in casu bene applicatur jurisprudentiae adagium: « Pro puella militat aetas ».

Sed etiam concedendum est hucusque exposita plurimum conferre ad thesim coacti consensus possibilem vel probabilem faciendam, non autem thesim eamdem directe probare, nisi plene ostendatur ac demonstretur constans puellae aversio in virum, vel in matrimonium, et efficax atque injusta opera matris ad filiae voluntatem flectendam.

Relevarunt autem DD. Judices ex tabulis plenissime erui aversionem Teresiae non solum erga juvenem, a matre electum, sed erga matrimonium, qua tale: in his, enim, perfecte testimonia conveniunt.

Audiatur prae primis actrix, quae maxima cohaerentia ac discretione ita se exprimit: « Allorché la mamma mi manifestò il progetto di matrimonio con Alberto, io esposi subito il mio disappunto. Alberto non mi piaceva perché era troppo alto (m. 1,96), e inoltre io non mi sentivo affatto preparata per il matrimonio. Non ci pensavo neanche, e preferivo studiare, o attendere ad altre cose più conformi alla mia età. Ma, alle mie obbiezioni, la mamma rispose che, per non lasciar sfuggire il partito, si sarebbe fatto il matrimonio rimandando la convivenza a tempo più opportuno ».

In quo, profecto, magis ac magis emicat forma mentis mulieris siculae, quae timet ne filias innuptas in mundo relinquere debeat, et, propter hoc, quaeque ardua et incerta mavult obire. Refert testis Julia: « ...elle craignait de mourir sans avoir pu marier ou « caser » sa fille... A moi-même sa mère me disait: « Elle n'est pas raisonnable. Elle devrait se marier, parce que je serais beaucoup plus tranquille. Je suis malade ».

Addatur quod juvenibus, ob domiciliorum propinquitatem, occasio forte non defuit se ad invicem tractandi et colloquendi. Sed mater talis erat mulier, quae « n'admettait pas une fréquentation sans mariage », quaeque decus familiae jam ex hoc ipso in discrimine positum vidit.

Obstitit tamen filia, pro posse et viribus. Utique, primo ictu, verba nonnulla, ab ea in primo interrogatorio prolata, significare viderentur eam morem simpliciter gessisse matri proponenti atque instanti. Sed intentio, magis quam singula verba incaute a muliere non docta prolata, expendenda est, simul cum summa factorum indubiae significationis. Quae equidem facta nedum quodlibet amoris signum, ex parte puellae erga virum, ante et post nuptias, non produnt; sed aperte ostendunt aversionem constantem et fastidium maximum. Non aliud probant frequentes puellae lacrimae, vel intercessio amicarum, quam, flectendi matris animi gratia, non una vice invocavit.

Utiliter adhuc auditur d.na Teresia: « C'est la maman qui a

pris l'initiative des pour-parlers de mariage... c'est la petite, qui ne voulait pas ce mariage...

Sa mère le voulait à tout prix. Elle disait: Je n'ai pas envie de me marier, et d'ailleurs je n'aime pas ce garçon ».

Et Julia: « Oui, elle a resisté à cette contrainte. Elle prétextait son jeune age pour ne pas vouloir se marier. Sa mère insistait davantage: « Raison de plus, disait-elle, que deviendras-tu si je viens à mourir? . ...Oui, certainement la volonté de la jeune fille était contraire à ce mariage ».

Item Augusta: « Non, Mr. ne plaisait pas à M.lle. Elle pleurait en disant: « Je ne veux pas cet homme » ...Oui, la volonté de la jeune fille était très nettement contraire à ce mariage ».

Nec diversimode alii complures: e quorum dictis eruuntur instantiae, pressiones, suggestiones adhibitae a matre, quam, si quosdam audiamus, veluti « obsessam » diceres, idest irrationabiliter ac pervicaciter firmam in decretis voluntatis suae, quae in bonum filiae edita tenebat. Confitetur actrix aliquando et alapas recepisse, etsi mater verberare filios solita non fuerit.

Alioquin, coactionis maternae genesis, natura, et gradus bene reassumuntur his sororis actricis verbis: « Oui, elle a subi une contrainte de la part de sa maman. Ma mère a véçu dans un petit village de Sicile, où les idées sont très étroites, et elle ne admettait pas une fréquentation sans mariage. Elle l'a exigé. Elle a fait des scènes. Elle en a fait toujours d'ailleurs; c'est une grande nerveuse. Les premiers jours elle insinuait doucement, et ensuite elle a exigé le mariage, parce que le fiancé demeurait dans la maison et qu'elle craignait qu'il arrivât quelque chose. C'est une grosse malade, très nerveuse: ce caractère n'a fait que s'accentuer ».

Tandem, ipsa mater, quamvis jam paralysi affecta ac fandi facultate paene destituta, coram judice admittit: « Je reconnais avoir obligé ma fille à se marier. Elle ne savait pas au juste ce qu'elle faisait, parce qu'elle était encore trop jeune: elle avait à peine 15 ans.

C'est ma faute. Je l'ai obligé à ce mariage ».

Attamen, obliviscendum non est haec omnia evenisse ante copulationem civilem: qua rite inita, mater actricis, placata in suis expectationibus et decretis, non amplius institisse videtur, vel, utcumque, non pari vi atque constantia.

Prae primis, autem, considerandum venit adversionem Teresiae in Albertum, post civile initum foedus, nequaquam cecidisse, imo in dies crevisse. Nam vir promissum non tenuit, unde tenera atque immatura puella statim, qua uxore, uti voluit; insuper, ipse idem practice impar ad alendam familiam apparuit, ac saepe absens

munerum causa. Eo absente, adhuc puella sub imperio matris permansit, et a matre, sive pro se, sive pro edita prole, alimenta suscepit. Esto, igitur, quod ulteriores matris instantiae, non amplius acres et imperiosae ut praecedentes, *occasionem* praestare potuerunt canonicae nuptiarum celebrationi: per ipsas, autem, procul dubio, conscientiae Teresiae indesinenter revocata fuit abnormis illa atque immoralis conditio, in quam misera puella, praecise metus injusti *causa*, ceciderat, et a qua se liberare non poterat, nisi ad sacramentum accedendo. Fuit ergo canonica celebratio immediate provocata ab occasione materni hortamenti, non nimis duri ac pervicacis, sed mediate, et radicitus, ab una eademque causa, idest a coactione, opera matris, indebite perpetrata.

Ne dicas Teresiam, jam fere vicennem, et prole oneratam, et pseudo-coniugalis vitae gratia moribus plus conformatam, jam parem fuisse ad resistendum, et ad jugum maternum excutiendum. Nam contrarium, omnibus aeque perpensis, teneri debet: major, equidem, tempore celebrationis canonicae, fuit Teresiae aetas, sed adhuc sat tenuis; et eadem prorsus ipsius dependentia a matre, ratione domus et alimentorum; et gravior ac profundior eius in virum, desidem, ac saepe absentem, aversatio; et debilior vis resistendi, cum esset christiana et mater: etenim, nec ab oculis, nec a sauciato animo, avertere poterat miserrimum statum peccati, ac tristem condicionem filii, nondum legitimi in facie Ecclesiae.

Interrogata mater: « Pour quelle raison le mariage religieux fut-il célébré quatre ans après le mariage civil? », respondit: « Ils étaient mariés civilement. C'est donc pour régulariser leur situation ».

Et filia dicit: « ... Elle m'a poussé pensant que cela assurerait mon bonheur. Je ne voulais pas ce mariage, car je n'escomptais pas de changement en mon mari. Mais ma mère disait: Pour l'enfant, il faut le faire... pour sa communion et pour plus tard ».

Et concinunt testes fere omnes, concordi eloquio.

Utcumque, etiam adiuncta celebrationis canonicae invitum mulieris animum confirmant. Abfuit enim laetitia atque pax, in similibus frequens, ita ut testis Delphina dicere potuerit: « Pour le mariage religieux, la maman a encore insisté, parce qu'elle croyait que le ménage n'était pas heureux parce qu'ils n'étaient pas bénits... La cérémonie du mariage avait l'air d'un enterrement, et Thérése a pleuré tout le temps ».

Et si alios audiamus, cum actrice concinentes, tunc temporis sexuale commercium jam interceptum penitus fuerat. Quapropter copula, post sacramentalem celebrationem, numquam intervenisset, et matrimonium ratum inconsummatum mansisset: ita actrix, et

Delphina, saltem aequivalenter, et Armandus frater. Quae tamen heic relevanda tenuimus solummodo ad aversionem actricis, et ad coactionem, quam eam subiisse ostendimus, magis fulciendam.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos, infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, pronunciamus, et definitive sententiamus, respondentes ad dubia supra enunciata:

1°) « Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu ».

2°) Non proponitur.

Franciscus Brennan
Petrus Mattioli, *Ponens*
Raymundus Lamas

Sententia haec, de mandato speciali Summi Pontificis (cfr. litterae Secret. Status, sub die 20 februarii 1957, pr. 7384/57), immediate exsecutioni traditur.

Coram R. P. D. Boleslao Filipiak, *Ponente*

N. N.

Nullitatis Matrimonii

Rita - Robertus

(*Ex capite amentiae et ob simulationem consensus ex parte viri*).

Sententia definitiva diei 14 Februarii 1958

(*Omissis*)

Species facti. - Die 2 septembris 1944, apud ecclesiam S. Irenaei in urbe N. N., dioecesis X. Y., Rita et Robertus, catholici, matrimonium contraxerunt. Convictus sat agitatus fuit, etiam ob tempora.

Instante muliere, et praevia auctoritate episcopi obtenta, matrimonium, die 13 februarii 1948, divortio emendatum est.

Die 3 januarii 1949 mulier ad Tribunal N. N. recurrit ad obtinendam declarationem nullitatis matrimonii, ex capite amentiae viri, vel, quatenus negative, ob simulationem consensus ex parte viri.

Die 26 mai 1950, prodiit sententia, votis actricis contraria, quam die 6 novembris 1957, confirmavit Tribunal appellationis. Tunc actrix ad N. S. T. recurrit, atque die 21 julii 1954 decretum restitutionis in integrum obtinuit, ob evidenter neglectum praescriptum legis, iuxta can. 1906 C. J. C. Deinde Exc.mus P. D. Decanus die 24 julii eiusdem anni concessit facultatem videndi causam in prima instantia.

Jussu N. S. T. duae peritiae ex officio peractae sunt circa accusatam viri amentiam. Caput simulationis consensus, attento defectu probationum necnon perpensa logica et iuridica contradictione cum amentia, Patronus retractare censuit.

Proinde hodie nobis respondendum est ad dubium concordatum: « An constet de nullitate matrimonii, in casu? »

In jure. - A psychopaticis ratio repetenda eorumque iuridica capacitas confundi nec debet nec potest cum vitiosa capacitate eorum, quorum mentis defectus a vero provocantur morbo. Dum enim horum tota personalitas defectu afficitur, illorum una vel alia tantum facultas. Nam etsi praecipua psychopatiae nota est voluntatis vel affectuum vitium, servatur tamen semper saltem sufficiens, saepe saepius autem eminens, intellectus facultas (Cfr. Theodor Bensch, *Influxus amentiae in validitatem contractus matrimonialis in jure canonico,* lingua polonica editum Lublini 1936, p. 208 et 216).

Itaque sunt qui laborant cogitationum occupatione seu, ut aiunt, ideis coactivis vel obsessionibus (idées obsédantes), vel impulsibus (ex. gratia poromania, pyromania, cleptomania, oniamania, etc.), vel sexus perversitatibus (onanismo, fetichismo, exhibitionismo, homosexualitate, immo sadismo, antropophagia, masochismo, etc.), aliisque statibus abnormibus, ex quibus varii efformantur psychopatiarum typi, ut ex. gratia impulsivi, contradictorii, mendaces, phantastici, antisociales etc. (Cfr. ibidem, p. 209-213). Unde matrimonium psychopaticorum, etsi saepissime infelix, declarari non potest invalidum ex capite defectus consensus propter amentiam, nam eiusmodi psychopaticorum consensus matrimonialis pathologicis impulsibus per se non afficitur. (Cfr. c. Grazioli, Parisien. diei 7 aprilis 1926; vol. 18, p. 109-116).

Exinde magis in eiusmodi psychopatiae casibus quam in aliis res aestimanda est per mediae vitae incessum: « scientiae scilicet inventorum et sensus communis habita ratione. Idque magis in considerando matrimoniali consensu. Agitur enim in hoc, de contractu ad quem natura, et quidem potentiori stimulo, urget, ita ut renuntiatio ab eo per electionem coelibatus, exceptionem consti tuat non amplectendam absque maturo consilio et perpensis omnibus difficultatibus ordinis physici ac moralibus quae eidem adversantur. Si ideo natura non tantum in necessariis, sed et in ordinariis non deficit, admitti nequit actum contrahendi matrimonium tam arduum in suis proprietatibus esse. Quod ex communi hominum et Ecclesiae sensu firmatur; nam sive inter barbaros in locis missionum, sive inter rudes et infirmae mentis homines ubicumque, matrimonia, ut naturales contractus ac sacramenta semper admissa sunt et valde aestimata. (c. Canestri, *Januen.* diei 12 aprilis 1943, vol. 53, p. 263, n. 2; cfr. etiam c. Wynen, diei 25 februarii 1941, vol. 33, p. 145, n. 2).

Unde in hac causa applicari non possunt principia quae cl. Patronus actricis in suo Restrictu Juris et Facti adduxit. Sententia enim Quebecen. (c. Mattioli, diei 6 novembris 1956) agit de casu in quo defectus mentis a morbo provocatur: « Quoties autem defectus mentis — legitur in ea — a quodam morbo provocetur, tunc amentiae, quae vere et proprie dicitur, seu insaniae, locus datur ». Ceterum in hac causa Quebecen. agebatur de vera insania, non autem de psychopatia.

In Romana autem causa (c. Felici, diei 26 februarii 1952) agebatur de dementia praecoci. In causa Florentina (c. Felici, diei 6 aprilis 1954), de paranoia anomalia constitutionali sermo fiebat, quod non est idem ac psychopatia, nam paranoia afficit non unam vel aliam facultatem sed totam personalitatem (cfr. ibidem c. Felici, in fine numeri 3). In causa Ambianen. (c. Felici, diei 15 februarii 1955) agebatur de melancholia seu lypomania eius, qui abulicus evasit maximaque dubitatione in deliberando laborabat, et quidem de melancholia quae per multos annos perduravit et facultatem deliberandi affecit.

In Facto. - Quoad assertam viri amentiam, contraria sunt omnia testimonia, omniaque peritorum vota.

Utique, duo medici aliquid in favorem pronuntiare videntur. At, videntur solummodo, nam reapse, si eorum expositio attente exigatur, aliud prorsus apparet.

Doct. Guillelmus, singularem exponit theoriam, nempe:

Ex eo quod vir conventus, ob congenitam constitutionem, psychopaticus judicari debet, consequenter impar esset — juxta hunc medicum — ad validum consensum matrimonialem proferendum.

Nam homo psychopatia affectus, prosequitur ille, agit ex motu qui « primo primus » dicitur. Exinde duo consectaria:

1° - Malefactorum suorum poenitentiam ac reprobationem concipere nequit, et;

2° - nihil unquam apprehendit ex malis et infortuniis praeteritis.

Quidquid de hac theoria, sat peregrina, sentiendum sit, remanet;

a) hunc medicum infirmum numquam visitasse;

b) falsum esse principium ab eo affirmatum, nempe hominem psychopaticum *semper* sub ictu primo - primo agere;

c) ambigua esse consectaria; nam fere omnes qui vitiosam habitudinem contraxerunt difficillime eam reprobare valent, et nihil apprehendunt ex malis ac fastidiis quae ab illa proveniunt: cogita alcoolicos, libidinosos etc. et etiam eos qui simpliciter vitio laborant hauriendi fumi ex foliis nicotanis.

Nedum isti, generatim, sua vitia exaltant, sed coram lugendis consectariis se abstinere non valent.

Quid ergo? Numquid istos omnes incapaces actus humani ponendi habebimus?

Quoad peritum Lezzi, novissime coram N. S. T. constitutum, dixerunt Patres eum canere extra chorum, et ultra petita pronuntiasse.

Nam ipse non probat conventum esse *non sui compotem;* sed sustinet eum *abulia* laborare, ideo possidere diminutam vim resistendi voluntati alienae.

Ideo, consensus eius, in casu, invalidus haberi deberet non ex quadam amentiae forma, sed ex coactione a matre mulieris acta in eius animum imbecillem nimis, et ad resistendum imparem.

Sed, primum, non agitur in praesens de coactione, deinde restat historiam totius causae, prout e tabulis eruitur, hanc thesim elidere:

1° - Quia conventus, ob facinora sine numero quae commisit, non debilis aut abulicus, sed strenuus apparet, imo audax, et saepe temerarius: in resistendo firmus, in aggrediendo fortis ac prae-

potens, in ferendo patiens, in evitando et eludendo sagax et callidus.

2° - Concedi potest ipsum, cum e loco militiae redivit, non adhuc certiorem fuisse de paratis nuptiis.

Sed pariter constat eum nullam aversionem erga puellam, vel erga matrimonum, habuisse; et insuper, eum primas propositiones exhibuisse, et gavisum esse cum vidit omnia disposita ac parata.

Ideo, pro volente et consentiente, coactio ne intelligi quidem potest.

Ad summum concedi potest, matrimonium, de facto, a matre puellae paratum fuisse nimis festinanter, et virum, ut rem necopinatam, illud acceptasse: volenter tamen ac libenter, nam illud desiderabat, quamvis de eo, pro tempore et adiunctis illis, non cogitaret.

Quibus tam in jure quam in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, respondentes ad dubium propositum:

Negative, seu non constare de nullitate matrimonii, in casu.

Ita pronuntiamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut notificent hanc nostram definitivam sententiam et adversus reluctantes procedant ad tramitem C. J. C., lib. IV, tit. XVII, adhibitis iis exsecutivis et coërcitivis mediis quae, attentis rerum adiunctis, efficaciora videantur.

Romae, in Sede S. Tribunalis S. R. Rotae, die 14 februarii 1958.

(Sign.) Boleslaus Filipiak, *Ponens*
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli

Coram R. P. D. Aurelio Sabattani, *Ponente*

N° 6397. MEDIOLANEN.

Nullitatis Matrimonii

(*Impotentia viri ob occlusionem viarum seminalium*)

Sententia definitiva diei 10 aprilis 1959.

In Jure:

1. *Parotis epidemica et impotentia.*

De hoc morbo breviter est disserendum, cum constet virum conventum tali infirmitate laborasse post pubertatem.

Legimus apud Santori (*Compendio di Sessuologia,* Roma, 1958, pp. 217-218): « E' nota a tutti la frequenza con cui il virus della parotite epidemica dà luogo, nel soggetto adulto, ad una localizzazione testicolare, che è invece eccezionale prima della pubertà. La gravità dell'orchite parotitica è dovuta, non tanto al processo infiammatorio in se stesso, quanto ai suoi esiti lontani, costituiti da una atrofia più o meno spiccata del testicolo, con conseguente alterazione od abolizione completa della funzione gametogena, ed anche, nei casi più gravi, di quella endocrina. Si spiega così facilmente l'azoospermia che tanto spesso si riscontra nei soggetti che hanno presentata una orchite bilaterale; va però tenuto presente che alterazioni di diversa gravità possono riscontrarsi in ambedue i testicoli anche quando clinicamente il processo orchitico era stato osservato soltanto in uno di essi... ».

Quomodo vero pessumdatio didymi oriatur ex huiusmodi morbo, bene explicat peritior: « L'atrofia del didimo, in questi casi, è dovuta in parte all'azione del virus sui tubuli seminiferi, ed in parte alla iperpressione che si crea entro la capsula albuginea (involucro inestensibile del didimo), in causa dell'essudato e dell'edema. L'iperpressione, comprimendo e schiacciando i tubuli seminiferi, li lede irreparabilmente conducendoli alla necrosi » (*Summ.,* 147).

Reapse Werner (*Ann. Inter. Med.,* 32, 1075, 1950) veri seminis expertes invenit 51 ex 100 viris, qui orchite ex parotide graviter vel leviter laboraverant. Refert quoque peritior: « Secondo le statistiche più recenti, l'atrofia testicolare, o meglio dei didimi, rappresenta la conclusione del 55% delle orchiti da parotite... Inoltre Bayle e Gouygou hanno osservato che su 675 uomini a fertilità assente o diminuita, il 20% aveva sofferto di parotite » (Bayle et Gouygou, *La stérilité masculine,* Rapport au 47° Congrés de la Soc. d'Urologie Française, 1953).

Ex hoc tamen concludi nequit atrophiam didymi haberi ut consectarium fere necessarium parotidis: videndum in singulis casibus quam vehemens fuerit morbi infestatio, localis inflammatio et praesertim quinam manserint exitus in glandula morbo affecta.

Ast, si praehabita post pubertatem gravi implicatione didymali a parotide, secuta sit notabilis diminutio crassitudinis vel turgescentiae eiusdem didymi, spermatogenesis plus minusve abolita vel saltem sopita praesumi debet.

2. *Occlusio viarum seminalium ob contagionem blenorragicam.*

A. *Quomodo huiusmodi obstructiones efformentur.* - Contagii germen, ex uretra posteriori, facile caudam epididymi attingit, aut per corporis lympham, aut, frequentius, per ipsas vias emissionis seminis, quas bacillum ex adverso percurrit, adiutum a contractionibus antiperistalticis ab inflammatione inductis.

In tali sede, ex bacterio prorumpit acutus inflammationis processus, qui involvit simul canalem epididymarium et ductum deferentem, eorumque praesertim epithelia, necnon texturas connectivas circumstantes: unde oritur suppuratus seu abscessus.

Si huiusmodi invasio gravis fuerit, quando recedit inflammatio, apparatus ita remanet profunde pessumdatus, ut pristinam formam denuo recipere nequeat, ac veluti damnatus sit ac inferiorem texturam induendam — loco praecedentis minutissimae et complexae architecturae — nempe texturam fibratam vel cicatritialem. Noduli vero repraesentant extremum limen — idque exitiale et irreversibile — in processu sclerosis.

B. *Utrum occlusio semper sequatur.* - Negative est respondendum. Nam restitutio in integrum apparatus post infestationem blenorragicam non est quidem exclusa, sed haberi potest si inflammatio, secuta ex contagione, fuerit levis, vel si apte curata fuerit per recens inventa remedia antibiotica.

Animadverti tamen debet: « La lievità apparente della malattia epididimaria non è garanzia della benignità delle lesioni occlusive » (Palmer, *Stérilité involontaire,* Masson, 1954, p. 344). Hoc explicat etiam quomodo ex epididymite, quae apparebat unilateralis, occlusio bilateralis quandoque secuta sit (Santori G., *op. cit.*, p. 221; Palmer, ibid.).

Idem Palmer notat: « Una epididimite gonococcica ha nove probabilità su dieci di portare ad una occlusione dell'ansa epididimale. Solo in un piccolo numero di casi esiste la possibilità di

permeabilizzazione durante il primo anno dopo la malattia. Si può quindi ritenere che un soggetto che abbia avuto una epididimite bilaterale ha sette o otto probabilità su dieci di essere colpito da una azoospermia completa » (l. c.).

Concordant omnino Bayle et Gouygon (*La stérilité masculine*, Paris, 1953, p. 311), qui, majori adhuc accuratione, probant ex epididymite blenorragica bilaterali sequi occlusionem octogiens pro centum vicibus (80%).

C. *An habeatur certa semeiotica harum occlusionum.* - Sorrentino explicite declarat: « se a livello dell'ansa epididimodeferenziale si palpa chiaramente *un nodulo*, si può essere certi che vi è una occlusione definitiva » (*La sterilità coniugale*, Ed. Abruzzini, Roma, 1954, p. 225). Bayle affirmat eandem obstructionem *certo* deduci posse etiam ex praesentia *parvi* noduli in eodem loco. Hoc consentaneum est lumini quam maxime exiguo huius canalis.

Ratio vero, ob quam unicus nodulus, etiam parvus, in cauda epididymi sufficiat ad occlusionem producendam, assignatur ab Hagner F. R. (*The operative Treatmen of sterility in the male* - J. A. M. A., Vol. 107, p. 1851, 1936): « La porzione più colpita è *la coda*. Proprio qui si hanno gli esiti più dannosi, giacchè *qui non vi è che un solo dotto efferente*, mentre nel globus major i dotti efferenti sono numerosi, e l'ostruzione di uno o due di essi potrebbe lasciare ancora pervii altri tubuli ».

Ad rectum judicium ferendum de consectariis blenorragiae relate ad huiusmodi occlusiones, adnotandum quoque est esse scientifice probatum, non omnes obstructiones viarum seminalium percipi posse per palpationem: « Nella statistica di Bayle *un terzo* delle azoospermie da epididimite bilaterale *non presentava alcun nodulo epididimario* palpabile, mentre lo stesso Autore ha osservato ben 18 casi di azoospermia escretoria in pazienti che avevano sofferto di blenorragia senza alcuna complicanza epididimaria apparente » (Peritior, 149).

D. Juridica consectaria.

Ex supra relatis hae videntur conclusiones hauriendae pro judice:

a) Ex praegressa tantum blenorragia, cuius *non* apparuerit evidens implicatio epididymalis, *indicium* tantum *leve* deduci potest pro occlusione.

b) Ex blenorragia, quae certe epididymum affecerit, quae tamen nodulos et indurationes manu tractabiles non reliquerit,

indicium alicuius gravitatis pro occlusione trahi potest, quod juvare potest probationem aliunde deductam. Jam adnotat dec. S. R. R. diei 29 martii 1952 (c. Wynen): « Iste morbus cum suis funestis consectariis in longe majore numero casuum provocat definitivam occlusionem epididymorum, nisi agatur de levi accessu morbi, qui statim curatur a medico... ».

c) Ex *nodulis* vere cicatrizialibus, ex *spissitatibus* notabilis duritici, quae jam ab uno anno vigeant immutata, si hae neoefformationes occupent caudam epdidymi, non tantum praesumptio, sed *directa probatio* occlusionis viae seminalis perhibetur, ac ideo impotentiae, saltem actualis.

d) Quoad antecedentiam vero *occlusionis* relate ad nuptias, id statui potest: si constiterit de epididymite blenorragica a viro contracta *saltem uno anno ante nuptias,* et nunc constet de nodulis vel duris spissitatibus obstruentibus, quando novus morbi incursus tempore matrimonii sufficienter excludi potest, tunc *gravis praesumptio stat pro occlusione definitiva ante nuptias.*

Nam causa (morbus) nata erat illum praecise effectum (obstructionem) producere, qui dein reapse, sed post nuptias, repertus fuit, quia antea defuit opportuna inspectio.

3. *Inanitas therapiae medicae erga obstructiones jam mature inductas.*

Cum illa tantum impotentia matrimonium dirimat, quae antecedens sit et insimul *perpetua,* tractationem nostram ducendam existimamus ad examen *emendabilitatis* obstructionum supra relatarum.

Et imprimis de therapia medica est agendum. Si enim aliqua via eaque facilis esset aperta ope medicamentorum ad reparandam impotentiam, impedimentum non esset perpetuum et matrimonium valeret.

Sane aliqua decisio S. R. Rotae (n° 3297, diei 8 martii 1952) videtur admittere possibilitatem eliminandi, vel saltem minuendi et extenuandi nodulos obstruentes vias seminales « *strenuis curis ormonicis et vitaminicis* ».

Forsan huiusmodi therapia quandam falsam speciem diminutionis nodulorum afferre potest, ex eo quod, ex androgenis abunde subministratis, dimensiones didymi augeri possunt. Tunc proportio inter nodulum et didymum immutatur ex praecedenti: et hoc facile falsam imaginem exploranti affert diminutionis noduli, qui reapse immutatus mansit. Ceterum sat arduum est comparare statum alicuius parvae spissitatis in distinctis et remotis temporibus.

His quoad quaestionem genericam praemissis, circa efficaciam

therapiae medicae relate ad obstructiones viarum seminalium, haec videntur tenenda:

a) curam *ormonicam et vitaminicam* utilem quidem esse uti therapiam *coadiuvantem chirurgicam operationem* anastomosis, sive uti praeparationem ad eandem, ut ipsa eveniat durante meliori statu organi, sive uti subsidium post interventum pro facilius obtinenda restitutione pristinae functionis;

b) eandem curam utilem forsan ne praebere aliquando *in occlusionibus minoris momenti et diuturnitatis,* quae eveniunt ob stasim vehiculi circumferendi in canalibus. Evenire potest quod validior spermatogenesis ita obtenta, *exercendo majorem vim a tergo,* possit labiles occlusiones exhaurire ductumque vacuum reddere; vel etiam quod apparatus, ita melius altus, functionem suam deferendi spermata rectius exerceat;

c) therapiam vero ormonicam et vitaminicam *nullius esse valoris, ubi habetur vera obstructio* canalis per efformationem novae texturae fibrosae, quae ductum rodit et intime pervertit in sua structura.

Quando habentur noduli, iique antiqui, quorum pressio dolorem non affert, ad speciem nunc descriptam est praesumendum. Nam Bearmann, discipulus Doct. Neisser (1905), voluit, per sectionem horum nodulorum, eorum naturam penitus investigare: invenit ita « du tissu fibreux cicatricial à la place des tubes ».

Evidens est proinde, quod nulla therapia ormonica vel vitaminica obtinere potest regressionem horum nodulorum. Nullum enim, usque adhuc inventum est medicamentum, vi cuius textura vulgaris, qualis est textura cicatritialis fibrosa possit non solum veluti solvi, sed locum dare texturae nobili, immo et minutissimae architecturae, quae constituit ductum deferentem. Tantum per miraculum obtineri potest restitutio organi, quod erat plane destructum.

5. *Perpetuitas impotentiae est conceptus juris, non merus eventus facti*: id statui debet antequam aggrediatur quaestio therapiae chirurgicae.

Impotentia est imprimis *adspectus* quidam *biologiae.* Ast, quando impotentia ad impedimentum matrimoniale evehitur, ipsa radices suas adhuc figit in biologia, sed determinatur et expolitur a jure, a quo directe procedit forma impedimenti.

Recte scripsit A. Gemelli: « La Chiesa non ha voluto che una funzione così delicata, ma così importante, come la consumazione del matrimonio, fosse fondata sulle nostre concezioni biologiche

in continuo progresso di sviluppo » (*Nuovo Digesto Ital.*, v. *Impotenza*).

Si impotentia ideo est *notio juris, tales* haberi debent *eius quoque notae,* nempe antecedentia et perpetuitas. Praesertim relate ad *perpetuitatem,* quandoque doctores et ipsi Judices huius principii immemores videntur, quando quasdam medicorum conclusiones *immediate* in provinciam juridicam transferunt et in eadem vim habere autumant.

Medicinae inventa et progressus deduci quidem debent in notionem perpetuitatis impedimenti, sed non in nativa eorum asperitate, bene vero per juridica principia quodammodo colata et juridico ordini aptata. Nam mera possibilitas medendi sistit in ordine *ontologico,* et non potest introduci in provinciam nostram, quae regitur *ordine ethico et juridico,* nisi quatenus ipsa adhibenda medela respondeat alicui obligationi.

Jam statuerat Schmalzgrueber (*Jus Eccl. Univers.*, lib. IV, pars III, tit. XIV, n° 44): « Impedimenti perpetuitas *non pendet... ex eo quod tollatur vel non tollatur,* sed ex eo, quod, spectata rei natura, tolli vel non tolli potest absque vitae periculo... — Vir, *non exspectato incisionis ita periculosae eventu,* separationem petere atque ad alias nuptias transire potest ».

Ita apparet rationem practicam exitus felicis vel minus medici interventus absorbi et superari a ratione juridica. Ab hac ideo quaeri debet tuta finium delimitatio inter perpetuam et temporariam impotentiam, non vero directe a chirurgia.

5. *Neque frequens et facilis recursus ad dispensationem super rato relevat Judices ab onere quaerendi juridicam rationem discriminis inter perpetuam et temporariam impotentiam.*

A). Habentur enim, in hoc discrimine statuendo, declarationes doctrinales et decisiones practicae, quae sibi invicem omnino adversantur.

Sic, ex. gr. Romani S. (*Institutiones Juris Canonici, De matrimonio,* Romae, 1945, p. 552, n° 821) definit impotentiam temporariam illam quae « medicina, vel *communi facilique operatione chirurgica* possit auferri », dum Conte a Coronata (*De Sacramentis, De matrimonio,* Torino, 1946, p. 386) haec scribit: « Operatio chirurgica *etiam gravis,* si fieri possit absque vitae periculo et absque gravi damno salutis, juxta plures *non censetur medium extraordinarium,* et impotentia, quae tali operatione auferri potest, *non est censenda perpetua* ».

Nihil mirum proinde, si ex doctrina ita inconstanti, decisiones dimanarunt, quae inter se omnino discrepant.

Summus rigor habetur in sententia S. Romanae Rotae diei 18 aprilis 1931 (S. R. R. Dec., Vol. XXIII, dec. 17, p. 131 et sq.), qua infirmata fuit praecedens decisio pro nullitate lata ob obstructionem viarum seminalium, eo quod deinceps vir conventus, novo exorto morbo, post excisionem unius testiculi, quoad alterum didymum et epididymum iterum habilis factus est ad ejaculandum semen testiculare.

Haec pronuntiatio nititur principio quod « hic impotentiae regressus obtentus fuit modis naturalibus atque licitis, nullum grave vitae periculum secumferentibus (Dec. cit., n° 9).

Talis vero decisio acriter impugnatur a Jemolo C. A. (*Il matrimonio nel diritto canonico,* Milano, 1941, p. 111, nota) et a D'Avack P. A. (*L'impotenza generativa maschile nel diritto canonico,* in « *Il Diritto Ecclesiastico* », 1951, fasc. II, p. 403), qui contendunt contrarium principium in casu applicari debuisse, nempe sanationis omnino extraordinariae.

Ceterum alia decisio S. Romanae Rotae diei 25 octobris 1945 c. Wynen (S. R. R. Dec., Vol. XXXVII, Dec. 64, n° 24, p. 592), referens citatam sententiam, sapienter notat: « sanatio illa, quae contra uniformem doctrinam auctorum et constantem experientiam accidit, est res adeo *extraordinaria et inexplicabilis ipsis medicis* qui virum curarunt, *ut inde nihil deduci possit* ».

B). De Smet (*De sponsalibus et matrimonio,* Brugis, 1927, p. 481, nota 4) animadvertit quod in huiusmodi quaestionibus saepe solutio obtinetur recurrendo ad dispensationem super rato.

Eadem consideratio, forsan nimis practica, repetitur in dec. S. R. Rotae diei 27 julii 1956: « Ceterum, ad effectum relaxandi onera coniugalia... *negocium* (quaestio nempe perpetuitatis impotentiae huiusmodi) *practice non relevat.* Nam si impedimentum exsistens probetur per integrum vitae communis tempus, legitime recurri poterit ad S. Sedem pro dispensatione matrimonii rati imploranda ».

Hoc quidem verum est, sed effugium non relevat Judices ab onere quaerendi juridicam solutionem, eamque juris pariter et medicinae innixam principiis, quae ad litis contestationem causae nullitatis directe respondeat. Notari enim debet:

a) ad votum praestandum (art. 206 Instructionis S. C. Sacr. 15 augusti 1936) pro dispensatione, necessaria est certitudo moralis de exclusione impotentiae, et ideo de validitate matrimonii, cum non possit dispensari vinculum quod non existat;

b) declarationis nullitatis et dispensationis super rato effectus juridici et consectaria sunt omnino diversa, et posset quis sententiam judicialem expetere, sed dispensationem nolle;

c) saepe evenit quod, petita ab initio dispensatione super rato, S. C. Sacr. rescribat: « Oratrix adeat viam judiciariam. Tribunal processum instruat super nullitate *usque ad sententiam definitivam* ». Ideo propositum effugium non valet.

d) insuper pro concedenda dispensatione, sicuti pro qualibet gratia, deficere possunt causae canonicae, dum fidelis semper jus habet, ut eius facta juridica declarentur (can. 1552, § 2, n. 1), ac status personae definiatur.

Praestat ideo rationem discriminis inter emendabilem et perpetuam impotentiam magis expolire, ut casibus practicis aptius applicetur.

In praesenti indagatione ratio habetur eorum, quae R. P. D. Ponens circa emendabilitatem obstructionum viarum seminalium fuse jam exposuit in decisione Tribunalis Reg. Flaminii diei 22 junii 1952 (cfr. « *Il Diritto Ecclesiastico* », 1953, fasc. II-III, pp. 367-377; « *Ephemerides Juris Canonici* » 1953, fasc. 3-4), cuius argumenta magna ex parte hic recipiuntur, multis tamen additis sive recentioribus scientiae medicae elementis, sive juridicis considerationibus.

6. *Ratio periculi corporis, quod occurrat in curanda impotentia, eam reddit juridice perpetuam.*

« Impedimentum illud non erat perpetuum quod, praeter divinum miraculum, per opus humanum *absque corporis periculo* potuit removeri ». Sunt verba Innocentii III, relata in Corpore Juris (c. 6, X, *De frigidis et maleficiatis* etc., IV, 15).

Doctores recensent magnam de hac re controversiam inter auctores. Ita Schmalzgrueber (o. c., n° 4) ponit quaestionem: « Dubium est an perpetua censenda sit impotentia, quae tolli potest sine vitae quidem, non tamen *sine gravis morbi periculo* », et concludit amplectendo strictiorem sententiam.

Sanchez (*De matrimonio*, lib. VII, Disp. 93, n° 18), sensu forsan magis practico et acceptione magis lata, scripserat alteram opinionem, quam probabilem recognoscit, « non differre a praecedenti: *quoties enim gravis morbus timetur, subest moraliter periculum mortis* ».

Pro casu dubii jure merito statuit Schmalzgrueber: « Quando medici dubii sunt an ex medicamentis apponendis ad removendam impotentiam *periculum mortis* subsit, *censendum est subesse* » (*o. c.*, n° 44).

Putamus ideo perpetuam esse impotentiam illam, quae auferri potest, nedum vitae, sed etiam gravis morbi periculo. His de rationibus operatio fieret *medium illicitum*.

7. Moderni doctores merito inducunt quoque rationem medii extraordinarii, quo impotens uti non tenetur ad capacitatem sexualem sibi procurandam.

Difficultatem non facessit quod in fontibus et apud antiquos doctores haec quaestio non inveniatur. Tunc ne suspicabantur quidem operationes chirurgicae ad curandam virilem impotentiam; et, etiam relate ad mulierem, omnia absolvebantur considerando « *incisionem* » ad medendum « *arctitudini* ».

Interventus proinde medici, juxta judicium antiquorum doctorum, respiciebant rem forsan aliquando periculosam, sed nunquam complexam in sua exsecutione.

Progrediente vero scientia medicinae, operationes variae coeperunt exsequi; ac logice, ratione *difficultatis, raritatis, peritiae* haud communis requisitae, etiam distingui in *communes* et *extraordinarias.*

Compertum est enim, ex ipso jure naturali et ex Theologia morali, haberi principium: « qui tenetur ad finem, tenetur adhibere *media ordinaria,* quae ad illum obtinendum requiruntur, non vero per se *extraordinaria* ». Et in practica applicatione, relate ad officium vitae conservandae, statuunt Theologi: « Ne ditissimus quidem tenetur per se vocare medicos peritissimos ad gravem morbum depellendum » (Noldin, *De praeceptis,* Oeniponte, 1932, p. 312).

Ex alia parte, ex ipso jure naturae, « *materia contractus* debet esse *possibilis* tum physice, *tum etiam moraliter* »; nam, ad physice impossibile nemo obligari potest, et ad moraliter impossibile nemo se obligare velle censetur.

Talem ideo distinctionem medii ordinarii et extraordinarii jus necessario recipere debet. Reapse jam a Schmalzgrueber (l. c., n° 100) — quamvis sensus verbi in auctore sit leviter forsan diversus — *impotentia perpetua* definiebatur « omnis illa quae per *ordinaria* et licita *media* non potest tolli ».

8. At adiungi debet ratio successus moraliter certi operationis remedialis, ut impotens obligatione teneatur illam subeundi.

Hic revocanda sunt quae supra (n° 6) sunt dicta de impotentiae perpetuitate, quae constituitur a *notione juris,* non vero a mero *eventu facti,* qui ordinem juridicum non penetrat.

Reapse parum interest quod deprehendatur huc illuc fieri operationes anastomosis viarum seminalium, quia ex mera *possibilitate* nullum juridicum consectarium eruitur relate ad *obligationem* subeundi operationem remedialem. Obligatio tunc tantum incipit,

quando collatis et simul comparatis exitibus harum operationum, potest quis moraliter certus esse quod, nisi imponderabilis et improbabilis nefastus casus occurrat, brevi sibi virilis capacitas reviviscat.

Statuitio principii supra enunciati difficultates exceptionesque importare non debet. Non potest enim quis adigi ad subeundam notabilem jacturam suorum bonorum, turbari a sua condicione habituali, ac compelli ad subeunda discrimina diuturnae curationis et chirurgicae incisionis longe a sua domo, ut tantum corpus suum praestet ad experimentum, cuius exitus incertus praevidetur.

Ut obligatio oriri possit, necesse est ut bona, quibus, arripiendo operationem, valedicit, compensentur cum certa spe aliorum bonorum aequalis saltem valoris, quamvis alterius generis.

Ceteroquin hoc principium in pari causa applicatur, ubi agitur de obligatione servandae vitae. Ita Moralistae docent posse quempiam per accidens obligari ad subeundam operationem, quae eius vitam sospitet: requiri tamen quod « agatur de persona familiae vel bono publico valde necessaria, *et successus sit moraliter certus* ».

Item Superior non potest praecipere subdito gravem operationem chirurgicam, nisi infirmus bono aliorum necessarius sit « *et successus operationis moraliter certus sit* » (Cfr. Noldin, *De praeceptis* l. c., p. 312; Lugo, *Disput.*, 10, n° 21).

Hanc conditionem successus moraliter certi exigere videtur ipse Sanchez, saltem relate ad stabilitatem felicis effectus intenti. Scribit enim (*op. cit.*, lib. VII, Disp. 93, n° 19): « Quod autem hactenus diximus... censeri impedimentum temporale, quod medicabile est absque vitae discrimine, limitandum est, si potentia, ope medicinae restituta, est duratura... Secus est, si brevi temporis spatio duratura est... *Tunc enim perinde matrimonium valeret, ac si immedicabile esset impedimentum* ».

Sed, antequam quaestio fiat de *stabili permanentia* remedii ab operatione inducti, ordo logicus requirit ut *prudens dubium deponatur circa productionem eiusdem effectus*, qui postea etiam duraturus esse debet.

Moralis ideo certitudo haberi debet de felici exsecutione operationis remedialis relate ad reparationem viarum seminalium.

In dubio, vero, *utrum operatio valeat emendare obstructionem*, praesumendum est reparationem non esse secuturam. Contraria omnino praesumptio haberetur in casu dubii *de exsistentia impotentiae*: nemo enim praesumitur abnormi conditione frui. Sed, quando certa est obstructio viae seminalis et incertum est remedium, possidet impotentia, non vero sanitas.

9. *Varia genera anastomosis viarum seminalium nequeunt inuri nota medii illiciti.*

Nam periculum gravis morbi — et, eo vel minus, vitae — huiusmodi chirurgici interventus non afferunt. « Tout à gagner, rien à perdre », edicit Bayle, indicans patientem, in pejori coniectura, manere in illa incapacitate, qua antea quoque detinebatur.

Sententia S. Romanae Rotae diei 25 julii 1956 edicit rationem habendam esse « de *periculis*, ex ea (interventione) forte *obvenientibus vitae ac sanitati patientis* ».

Constat tamen huiusmodi operationes remediales talia pericula per se non afferre. Bayle animadvertit: « per l'ammalato è una operazione anodina, non dolorosa, non pericolosa ». Palmer (*op. cit.*,) refert: « operazione delicata, ma priva di qualsiasi pericolo ». Hagner (*op. cit.*,) explicat: « l'operazione, per quanto noiosa, non è pericolosa per la vita ». Tandem Chiara A. (*Problemi chirurgici nella terapia della sterilità maschile*, Gazz. Sanitaria, Milano, 1956, n° 11-12) judicat: « in nessun caso l'operazione provoca lesioni agli organi genitali e tanto meno una compromissione della loro funzione ».

Ceterum, cum sententia citata loquatur de periculis « *forte obvenientibus* », memorandum est quod scribit S. Thomas (*Summa Theologica*, II^{a} II^{ae}, q. 88, a. 4, ad 2): « Quando periculum nascitur ex ipso facto, tunc illud factum non est expediens...: sed si periculum immineat ex hoc quod homo deficit ab illo facto, non desinit propter hoc esse expediens... Alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quae per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa ».

Quidam medici animadvertunt haberi frequenter *infaustas implicationes ex torpore arte necessario inducendo* ad obtinendam immobilitatem infirmi curandi. Ita Ballanger F. R. (*Les azoospermies excrétrices — leur traitement chirurgical* — Bordeaux, 1949) reprehendit usum anaestesiae totalis, quamvis adhibitae a Bayle et a Young « pour les risques que cette narcose fait courir au sujet », edicitque, attenta diuturnitate operationis, haberi « la possibilité de complications pulmonaires parfois graves, même avec les appareils modernes » (p. 103).

Sed, attenta praesertim magna perfectione hoc ultimo decennio consecuta ab anaestesia, attentisque modernis apparatibus, quibus functiones vitales infirmi sopiti inspiciuntur et vigilantur, haec implicatio nefasta habenda est uti imponderabilis et improbabilis.

10. *Eaedem operationes induunt tamen, ad praesens, rationem medii extraordinarii.*

Sententiam autem nostram sequentibus elementis contendimus confirmatam:

a) ex intima difficultate chirurgici interventus. - Quaelibet anastomosis nullo modo considerari potest « communis facilisque operatio chirurgica »: est, e contra, interventus maxime arduus et implexus, ad quem peragendum non sufficit oculorum acies, sed organa et exigua canalicula, circa quae agendum est, amplificari debent visui chirurgi per vitreas lentes; in quo summum est periculum inducendi novam obstructionem ob sclerosim et cicatrices, huic incisioni secundarias.

Bayle animadvertit: « è una operazione lunga, estremamente fine e delicata, tutta tecnica, che io eseguisco con la lente a visiera, con fili di tantalio di 1/10 di millimetro di diametro, montati su aghi atraumatici ». Evidens est proinde quod eadem operatio felicem exitum numquam habere poterit, nisi in manibus chirurgi, qui huiusmodi incisionibus se dederit, quique longam et specificam praeparationem receperit.

b) ex raritate chirurgorum, qui talem operationem perficiunt.

Jam sententia S. R. Rotae diei 26 junii 1954 et altera diei 27 novembris 1954 merito animadvertunt: « ...haec operatio in Italia non fit ». Et practice hoc tenendum est, etiamsi deprehendatur huc illuc quaedam conamina in hac re fieri, quae non permittunt asserere haberi in Italia chirurgum, qui usu huius interventus vere calleat.

Nec Prof. Chiaudano talis dici potest, qui anno 1932 (*La sterilità da causa maschile,* Torino) tres casus pubblicavit dubii exitus, et anno 1938 (*Sulla tecnica dell'anastomosi,* in « *La medicina contemporanea* ») 7 casus, quin ullibi de foecundationibus reapse secutis sermo fuerit. Eius tamen conclusiones, quae apertas redolebant exaggerationes, quaeque nimis generales erant relate ad casus vere exiguos quoad numerum et quoad successum, nonnullos Judices deceperunt.

In Gallia habetur Henricus Bayle, huius chirurgiae facile princeps. Sed de aliis gallicis urologis, etiam famae universalis, non constat quod huiusmodi anastomosibus incumbant. Ita Prof. Cibert, Lugdunensis, de re quaesitus, reposuit: « che i casi che gli capitavano li inviava a Bayle a Parigi, che si era specializzato in tale intervento, al quale non valeva la pena di dedicare tanta preparazione » (cfr. « *Il Diritto Eccl.,* 1953, p. 373).

In Argentina has operationes exsequitur Armandus Trabucco. Quoad ceteras nationes adsunt tantum alii pauci, quorum nomina infra (nº 13, B) ponentur, ubi indices tradentur exitus fausti huiusmodi interventus.

c) ex raritate infirmorum, qui eandem operationem petunt.

Notat Ballanger F. R. (*Les azoospermies excrétrices*, cit., p. 99): « Peut être faut il voir dans cette penurie de malades l'explication de nos mauvais résultats opératoires ».

Nam cognoscitur, ex una parte, frequentem esse impotentiam viri ob occlusionem viae seminalis (juxta Bayle: 36% supra omnes casus sterilitatis imputabilis viro); ex alia parte, minimum esse numerum infirmorum, qui operationem remedialem requirunt. Idem Ballanger animadvertit (l. c.): « Ex six ans d'activité, le Prof. Darget, pourtant placé à la tête d'un service d'hôpital de plus de 70 lits, qui draîne l'urologie de tout le Sud-Ouest, n'a pu observer que onze cas d'azoospermie excrétrice. C'est assez peu, quand on connait le fréquence relative de cette sterilité ».

d) ex praevia necessaria indagatione circa statum didymi mediante « biopsia testicolari » et circa pervietatem deferentis.

Hae sunt operationes veluti praejudiciales, necessario ponendae. Nam, sicuti omnino inutile esset istic restaurare acquae ductum si fons siccus exstaret, vel si in alio loco abdito impervius ipse foret, similiter, antequam chirurgus ad anastomosim inducendam accedat, certior esse debet de spermatogenesi adhuc integra et de pervietate reliqui cursus canalis deferentis.

Plerique clinici (cfr. Trabucco, *Esterilidad masculina*, cit., p. 32; Arenas-Bettinotti-Murray, *Esterilidad conyugal*, Editorial Bibliografica Argentina, 1956, p. 367) tenent plenam tutamque indagationem fieri non posse, nisi mediante « biopsia testicolari »: viro, per incisionem in scroto, evellitur particula substantiae testicularis, postea subiicienda examini microscopico, ut probetur utrum glandula adhuc capacitate aliquid secernendi fruatur.

Ast hae indagationes non sunt immunes a periculis reformandi in pejus apparatum genitalem.

Quoad biopsiam, agitur, ut scribit Ballanger (op. cit., p. 61), « d'un acte de petite chirurgie qui va immobiliser le patient pendant 48 heures »; nec excludi potest quaedam obstructio ex depositis fibrinis sanguinis inde profluentis.

Quoad vero indagationem in deferentem, quae fit vel punctione et iniectu substantiae opacae, vel cathetere, vel persufflatione, statuit Bayle (*Masculine Sterility*, apud: *Urologic and cutaneous Review*, March, 1950, West Palm Beach Florida, p. 132): « All re-

searches on the permeability of the deferent by vasotomy entail the risk of a secundary stenosis ».

e) ex praeparatione infirmi et diuturna cura eodem praestanda post chirurgicam operationem.

Trabucco docet praemittendam esse curam stimulantem et augentem spermatogenesim per 40 dies (Apud: « *Esterilidad conyugal* », cit., p. 368).

Sed major adhuc requiritur attenta vigilantia et curatio post interventum: « si en ese lapso se abandona al enfermo, se correrà al riesgo... de perder todo el esfuerzo que significò la preparación y la intervención reparadora » (Trabucco, *Esterilidad masculina,* cit, p. 42).

« Por lo tanto, insistimos, al enfermo operado se lo debe someter a sucesivos períodos de tratamiento con gonadotrofinas séricas, ácido ascórbico, alfatocoferol y cortisona, los que deberán mantenerse *per lo menos durante 2 años* » (« *Esterilidad conyugal,* cit., p. 372).

11. *In iisdem operationibus deficit quoque, in praesens, ratio successus moraliter certi.*

A) *Generalibus inspectis rationibus,* dicendum est varia genera anastomosis viarum seminalium non praeseferre successum moraliter certum:

a) *ob exitum valde incertum in se.*

Talis est difficultas in huiusmodi operationibus, ut nemo praevidere possit eorundem exitum. Recenter Bendandi scribere potuit: « Siamo ancora nella fase sperimentale delle varie tecniche e solo una più larga esperienza permetterà di migliorare i risultati » (*Progressi di terapia,* Ed. Co-Fa, Milano, 1956, n° 1, p. 12).

Causa praecipua exitus ita incerti deprehenditur in periculo semper imminenti, quod incisio, qua chirurgus intendit mederi obstructioni, cicatricem et ideo novam obstructionem inducat in canalibus ita infimae exiguitatis. Docet Ballanger (*op. cit.*, p. 81): « C'est la sclérose post-operatoire, qui venant étouffer la lumière de la communication, ferait échouer l'opération ».

Duas vero causas assignat Trabucco: « La primera es la nueva obstrucción en el punto de la anastomosis. La segunda es que, si bien en algunas ocasiones se conseguía restablecer la vía de excreción, los espermatozoides no fecundaban » (*Esterilidad conyugal,* p. 365).

b) *ob defectum cognitionis eiusdem exitus.*

Cum non admitti possit masturbatio ad procurandum ejaculatum, postea examini subiiciendum, non habetur medium legitimum probandi utrum operatio facta obtinuerit felicem exitum permittendi transitum ad extra secreti testicularis, praeter foecundationem mulieris a tali viro facta.

Consequeretur proinde illud absurdum, quod separatio personalis coniugum, a judice statuenda in limine litis, esset revocanda, immo cohabitatio jubenda ad hoc, ut probatio haberetur validitatis vel nullitatis matrimonii. Reditus proinde fieret ad illud « experimentum triennale », de quo in antiquo jure, quod tamen uti abolitum haberi debet juxta doctores (Cfr. Gasparri, *De matrimonio,* 1932, p. 332, n° 542).

c) *ob exitum valde retardatum, ita ut nesciatur quoadusque debeat exspectari.*

Dilatio successus duabus causis tribui debet:

aa) *Stermatogenesis debet denuo evolvi et perfici.* Moderna physiologia nos docet abolitam non esse spermatogenesim ex parte testiculi, quando obstructa est via emissionis ad extra nemaspermatum; labor tamen testiculi est piger et lenis, ac veluti sopitus: « Para que la espermatogénesis — profundamente alterada durante todo el período de obliteración — se recobre al estado normal, muchas veces pasan años... » (Trabucco, *Esterilidad conyugal,* cit., p. 372).

Ad medendum oligospermiae, et ad hoc ut numerus nemaspermatum importet probabilitatem foecundationis, longum tempus requiritur. Trabucco, qui anno 1948 (« Esterilidad masculina, cit., p. 43) edicebat huiusmodi sufficientem restaurationem spermatogenesis haberi *in anno,* in novo opere saepius citato anni 1956 (p. 372) *ad duos saltem annos* tempus exspectationis extendit.

Reapse Bayle (*op. cit.,* p. 130) refert quod unus ex suis aegrotis ad recuperandum ejaculatum foecundantem, exspectare debuit duos annos cum dimidio.

bb) *Trauma ab epididymo in incisione passum,* in maturatione et in ipsa vita nemaspermatum influxum habet: unde frequenter consequitur asthenospermia et etiam necrospermia.

Terminus, ideo, intra quem exspectari debet effectus operationis remedialis, difficulter potest determinari in sua vastitate. Et durante hac diuturna periodo validitas matrimonii adhuc sub judice esset!

B). *Indices felicis exitus quae afferuntur relate ad singulas species anastomosis*:

a) *Anastomosis deferento-testicularis,* seu vasorchidostomia, in qua nempe, seposito epididymo, ductus deferens immediate implantatur in didymo, nulla gaudet probabilitate successus. Si quis faustus eventus occurrat, dicendus erit casus fortuitus. Et ratio est evidens: epididymus, qui in casu resecatur et seponitur, necessarius est ad vitam et evolutionem nemaspermatum.

b) *Anastomosis deferento-epididymalis,* seu vasoepididymostomia, ea est quae fere unice a chirurgis consideratur uti possibilis. Applicatur tantummodo quando nodulus invenitur in cauda epididymi vel ad initium deferentis.

Juxta recentiores statisticas proportio fausti exitus apud diversos chirurgos haec traditur: Trabucco 65%; Bayle 64%; Hagner 58%; Palmer 54%; Popelka 52% Young 50%; Sorrentino 42%; Jomain 40%; Hotkiss 20%. Et haec — notetur — est ratio successus apud chirurgos qui sibi proposuerunt singularem omnino peritiam per longum studium et usum in re acquirere, quique reapse famam universam in angusta hac provincia sunt consecuti. Facile dignoscitur qualis esse poterit index fausti exitus apud chirurgos, qui hanc operationem exsequuntur disiunctis vicibus et raro omnino.

c) *Anastomosis deferento-deferentialis* minori adhuc probabilitate fulcitur quam praecedens species. Ballanger (*op. cit.*, p. 80) refert: « O' Connor rapporte quatre cent vingt vasovasostomies faites ces dernieres années en Amerique avec cent soixante réussites (38%) ».

C). *Statisticae medicae relatae debent ulterius in re nostra reduci duplici de ratione.*

Auctores et Judices qui indices felicis successus harum operationum, a medicis oblatos, immediate applicandos censuerunt in judicio perpetuitatis impotentiae, erraverunt *sub aspectu juridico* (cfr. supra, n° 6).

Sed erraverunt quoque *sub respectu medico,* quia eosdem indices non plene cumulateque legere valuerunt. Nam:

a) *numerus foecundationum longe inferior est numero felicis exitus operationis.*

Et foecundatio unice conspici potest (supra, n° 13, A, b) et debet.

Nam chirurgus, si post aliquot menses ab interventu, invenit in ejaculatu vel unum nemasperma — etiamsi mortuum vel de-

forme — ad successum clamat, qui reapse partim verus est, quia repertus inductam restaurationem viae seminalis importat et probat. Ast illud nemasperma unquam valebit illam foecundationem producere, quam unice intendunt patiens et eius uxor.

A fine enim consequendi meram potentiam in sensu canonico — quae, absque facultate procreandi, aridum est solacium — nemo duci potest ad tantum discrimen subeundum.

Nihilominus, huiusmodi casus in indices refertur uti favorabilis exitus.

Bayle, qui utramque rem distinguit, quique in anastomosi epididymo-deferentiali sanationes obtinuit in proportione 64%, *foecundationes* non potuit consequi nisi *in proportione 30%*.

Ideo, quando leguntur indices felicis exitus harum operationum, *ad dimidiam circiter partem reduci debent* ad effectum judicandi de perpetuitate impotentiae.

b) *indices felicis exitus respiciunt tantum casus, in quibus operatio possibilis judicata fuit; sed multi patientes a chirurgo dimittuntur ob impossibilitatem interventus.*

Ideo statisticae erronee applicarentur relate ad omnes viros, qui huiusmodi obstructionibus laborant.

6. Haec est ratio ob quam non sufficit, ut habeamus normam can. 1114 statutam. Indigemus insuper alia norma seu lege, qua statuitur quomodo procedendum est, ut probetur aliquem virum esse patrem filii nati ex determinata muliere, si haec sit coniugata. De muliere non coniugata canones nostri nihil statuunt, cum agant de effectibus *matrimonii* et de *legitimitate filiorum.* Nati ex muliere non coniugata iam sunt illegitimi ex parte matris.

7. Hanc aliam normam nobis praebet can. 1115, agens de probatione legitimitatis filiorum in quantum ipsa dependet a paternitate. Can. 1115 § 1 statuit aliquam praesumptionem legalem et quoad vim iuridicam exceptionalem. Ipsa praesumptio est: « pater is est quem iustae nuptiae demonstrant ». Verba deprompta sunt ex iure romano. Ex contextu apparet quod verba « pater is

---

[5] Brevitatis causa loquimur tantum de nativitate ex matrimonio *valido.* Quae dicuntur aequo iure valent de matrimonio *putativo.*

est » stant pro « pater is *habetur* » [6], cum omnibus consequentiis iuridicis (iuribus et obligationibus), quae ex paternitate profluunt. Hoc autem « nisi evidentibus argumentis contrarius probetur ». Ex hoc apparet quod agitur de praesumptione iuris tantum, quae admittit probationes contrarii, etiam directas [7]. Est autem praesumptio, quae specialem habet vim, ita ut requiratur ut contrarium probetur *evidentibus* argumentis.

8. Vir igitur praesumptive demonstratur pater infantis nati ex muliere mediante matrimonio. Conceptio autem ex matrimonio cognoscitur publice ex cognitione diei nativitatis, quae ex se est publice nota. Praesumptio igitur rationem habere debet cum facto physiologico quod temporis spatium inter conceptionem et nativitatem non est idem pro omnibus casibus, sed admittit variationem a sex usque ad decem menses. Unde norma can. 1115 § 2: « legitimi praesumuntur filii, qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis ». Comma secundum possumus omittere, utpote non respiciens quaestionem hic agitatam. Statuitur igitur: filii nati ante sex menses a die celebrationis matrimonii non praesumuntur legitimi; non reguntur hac praesumptione; pro ipsis non valet praesumptio in § 1 statuta, quia pro ipsis non valet praesumptio pro paternitate viri, qui est maritus ratione huius matrimonii.

9. Exinde: nulla oppositio vel contradictio inter can. 1114 et can 1115 § 2, etiamsi textum can. 1114 intelligamus secundum proprium sensum verborum et non supprimamus, prout facit Conte a Coronata, verba « aut nati ». Etenim de filiis natis ante sex menses can. 1115 § 2 declarat et statuit quod *non praesumuntur* legitimi, hoc est, circa istos filios nihil praesumitur. Hoc legis statuto declaratur et statuitur aliquid circa *praesumptionem* ideoque circa *probationem* legitimitatis. Et proinde nihil statuitur circa ipsam *legitimitatem*. Nam de ipsa legitimitate eiusque causa agit can. 1114, non canon 1115.

10. Quare, filius conceptus ex duobus parentibus et natus ex *eorum* matrimonio ante sex menses a die celebrationis huius

---

[6] Nemo nec ipse Legislator, ignorat, virum quem iustae nuptiae demonstrant non semper *esse* patrem. Secus Legislator non admitteret probationem contrarii evidentibus argumentis.

[7] Vide can. 1825-1826.

matrimonii *non praesumitur* legitimus (can. 1115 § 2), sed *est* legitimus (can. 1114). Ex hoc enim quod aliquis non *praesumitur* legitimus non sequitur, quod ipse non *est* legitimus. Fieri potest (et saepe erit sic), ut aliquis sit legitimus, sed eius legitimitas probari non potest illa praesumptione lege statuta, de qua agit can. 1115. Tunc legitimitas aut probari debet aliis mediis, aut non debet probari. Quoties enim, ut in casu Homeri, nemo dubitet de legitimitate Homeri et nemo, neque pater neque alii, illam impugnent, non habetur ratio procedendi ad eius probationem. Patet igitur interpretationem can. 1114 datam a De Smet et a Conte a Coronata esse erroneam et reiiciendam.

In favorem nostrae interpretationis adducere possumus quasdam confirmationes:

11. *Confirmatio* 1. Ex canone 1116. Ut per subsequens matrimonium filius legitimetur, requiritur non ut *conceptus* sit a *parentibus* habilibus ad matrimonium contrahendum, sed ut sit conceptus *aut natus* ex huiusmodi parentibus. Etiam hic Legislator unum ex duobus (et datur adhuc tertium) requirit et non requirit exclusione hoc unum, scilicet conceptionem ex huiusmodi parentibus.

12. *Confirmatio* 2. Teste ipso Conte a Coronata aliisque sicut Werz-Vidal, ante Codicem canonistae non erant unanimes. Multi tenebant quod sufficiebat nativitas ex matrimonio valido, et multissimi tenebant saltem in praxi hanc doctrinam esse applicandam (communius, ait Wernz-Vidal). Quid autem fecit Legislator promulgatione Codicis? Si ipse voluerit dirimere quaestionem in favorem sententiae, quam nunc tenet Conte a Coronata, certissime non usus esset verbis: concepti *aut nati*. Nam clarum est et evidens, quod ad ius prout Conte a Coronata admittit sufficit verbum « concepti ». Legislator advertens ad aliquam quaestionem quam cupit dirimere, certo non addit aliquod verbum, quod nullum alium effectum habet quam efficere, ut quaestio non appareat dirempta, imo potius dirempta in sensum contrarium.

Insuper, etsi non certum, tamen valde probabile est quod Legislator quaestionem diremit in sensu qui concordat cum doctrina, quam sententia communior ante Codicem tenebat, sive theoretice sive saltem ut in praxi applicanda.

Nil mirum quod post Codicem communior sententia canonistarum est illa, quam nos propugnamus et quae est sententiae a Conte a Coronata propugnatae contraria.

Corollarium I. Agens de casu in quo filius nascitur ante sex menses a die celebrationis matrimonii, Conte a Coronata dicit: « Post Codicem communior sententia tenet eum esse legitimum, *si pater eum non repudiaverit* ». Repudiare hic significat negare paternitatem, impugnare paternitatem. Sed hic loquens de *repudiare* auctor demonstrat iterum se confundere duas materias distinctas. Repudiatio a patre facta non potest habere ullum effectum pro *filii legitimitate*. Repudiatio autem potest habere effectum pro *probatione* legitimitatis [8]. Ipsa enim necessariam reddit probationem et quidem ordinariam, quia praesumptio lege statuta in hoc casu non valet, ut dicitur in can. 1115 § 2.

Corollarius II. Conte a Coronata in favorem suae interpretationis etiam invocat canonem 1051. Hic autem canon non necessario agit etiam de prole nata tantum in matrimonio putativo. Agit certissime de prole concepta et nata ante matrimonium validum vel putativum (et etiam ante quodlibet matrimonium vel in matrimonio invalido non putativo). Utrum iste canon etiam respiciat prolem conceptam ante, sed natam ex matrimonio putativo dependet a quaestione: quae interpretatio canonis 1114 sit vera; illa quam propugnat Conte a Coronata, an nostra, quae est communis sententia auctorum [9]. Sequitur quod iste canon afferri nequit ad probandam hanc vel illam sententiam.

D.r L. Bender O. P.

---

[8] Evidens est quod auctores, qui hic loquuntur de repudiatione, non tenent filium *esse* legitimum, si pater eum non repudiet; illegitimum, si pater eum repudiet. Ipsi tenent filium *haberi seu praesumi* legitimum, si pater non repudiet; non haberi legitimum, si pater repudiet. Nam in hoc casu paternitas probanda est probationibus ordinariis.

[9] Clarum enim est quod dispensatio, de qua in can. 1051, se extendit ad omnes filios non adulterinos vel sacrilegos, sed *natura rei* ad eos solos, qui non iam sunt legitimi. Filii iam legitimi non sunt legitimationis capaces. E. g. si dispensatio detur ad convalidandum matrimonium putativum, filii ex eo nati non legitimantur, quia iam sunt legitimi. Sic, admissa nostra sententia, filii nati post matrimonium invalide contractum sed *putativum*, non legitimantur iterum, quia iam sunt legitimi. Dantur autem alii casus in quibus habetur proles concepta in matrimonio invalido non putativo, et haec dispensatione de qua in can. 1051 legitimatur, iam antequam matrimonium convalidatur; imo etiamsi matrimonium numquam convalidetur, e. g. quia vir absens non amplius redit malitia vel morte praeventus. Vide: L. Bender, *Legitimatio prolis sola dispensatione quin sequatur matrimonium*, in *Monitor Eccles.* 1953.

DE APPLICATIONE S. SACRIFICI MISSAE PRO ACATHOLICIS ET EXCOMMUNICATIS [1].

Periodicum « *Perfice Munus* », 1958 p. 104 publicavit sequentem casum: « Nello scorso anno, morì un signore che visse sempre da buon Protestante; negli ultimi istanti della sua vita, ebbe l'assistenza dei suoi ministri ed ebbe sepoltura solennissima in rito protestante. Durante la sua vita, questo signore si dimostrò piuttosto caritatevole e generoso verso i bisognosi protestanti ed anche verso cattolici, nonchè verso il Parroco della vicina Parrocchia cattolica. Era ben conosciuto e tutti sanno che morì da buon protestante, il suo funerale e la sepoltura furono fatti alla protestante con grandissimo intervento di popolo.

Pochi giorni fa, essendo l'anniversario della morte di questo signore, i parenti chiesero al parroco cattolico di celebrare una S. Messa in suffraggio dell'anima del loro defunto, pregando lo stesso parroco, che durante la Messa, si facesse un discorso, come costumano fare i protestanti in simili circostanze. Il parroco cattolico promise di fare quanto i parenti desideravano; e questi (i parenti del defunto) fecero grande réclame per la città, affissando ovunque l'avviso della funzione che si farebbe nella chiesa cattolica. Infatti nel giorno e nell'ora prestabilita, il surriferito parroco cattolico fece celebrare la Messa, durante la quale un vice parroco parlò dell'efficacia del sacrificio dell'altare e, al termine della Messa e del discorso fu cantato il De Profundis e si diede la benedizione con il Santissimo con l'accompagnamento dell'organo. In questo modo venne celebrato l'anniversario del ricco defunto protestante. Ora, poteva il parroco cattolico far questo? Il suo agire fu corretto? » [2]. Qui articulus infrascriptum commovit ad tractandam uberius quaestionem: licetne sacerdoti catholico applicare s. sacrificii missam pro acatholicis?

Clavem solutionis exhibet can. 809 C. I. C., qui ita profertur: « Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis, tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus, salvo prae-

---

[1] Oesterle, *Applikation der hl. Messe für Andersgläubige*, in « Theol.-prakt. Quartalschrift » 1931 p. 568 ssq.; Haring, *Mess-applikation*, I. c. 1928 p. 372 ssq.

[2] Iustissime quaeri poterit: in quonam Seminario Italiae parochus et viceparochus audierunt theologiam dogmaticam et moralem necnon ius canonicum? Pag. 105 auctor articuli *falso* scribit: « anniversario per il Re e la Regina *acattolici* ». Unice regina fuit acatholica. Reges Bavariae remanserunt *semper* catholici, ut docet historia.

scripto can. 2262, § 2, n. 2. Qui canon habet sequentem tenorem: § 1. Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, *publicarum Ecclesiae precum*. § 2. Non prohibetur tamen: 1° Fideles *privatim pro eo orare*: 2° *Sacerdotes Missam privatim* ac remoto scandalo pro eo applicare; sed si sit vitandus, pro eius conversione tantum » [3].

Amplus terminus can. 809, sc. pro quibusvis tum vivis tum etiam defunctis necnon disciplina seu praxis Codici anterior [4] vix iustificant opinionem sub voce « pro quibusvis » intelligendos esse unice catholicos, sed debemus etiam pro baptizatis simpliciter et non baptizatis terminum « pro quibusvis » sumere [5]. Pro baptizatis acatholicis (haereticis et schismaticis) solummodo can. 2262 § 2 n. 2 limitationem creare poterit, in quantum haeretici et schismatici vi can. 2314 § 1 n. 1 uti excommunicati considerantur [6].

---

[3] Missam applicare est iuxta Gasparri, *De Eucharistia* n. 466 elicere « actum voluntatis quo sacerdos celebrans intendit sacrificium eucharisticum offerre pro aliquo sive pure et simpliciter sive ad determinatum finem; qui exinde specialem fructum propitiatorium percipit, absente obice, praeter adorationem et gratiarum actionem nomine eius specialiter factam ». Qui fructus vocatur fructus specialis aut, prout alii dicunt, fructus medius aut ministerialis (l. c. n. 34). Lehmkuhl, (*Theol. Moralis, ed. 12*) iuste notat: non agitur in casu de applicatione fructuum ex opere operantis, sed « de iis fructibus directe applicandis, qui applicationi sacerdotis subsunt, quatenus personam alienam in publico munere agit; i. e. quatenus nomine Christi et Ecclesiae agit et fructus ex parte Christi et Ecclesiae oriundos dispensat » (vol. II, n. 241, 5°).

[4] Cfr. S. C. de Prop. 12 sept. 1645 (*Collect. de Prop. Fide* n. 114 Sextodecimo; *Fontes C. I. C.* vol. VII n. 4459 p. 17): non licere, si *vere* in sua infidelitate decedunt. S. Off. 19 apr. 1837 (*Fontes* C. I. C. n. 876): pro conversione greco-schismaticorum; S. C. de Prop. 11 mart. 1848 (*Collect.* n. 1028; *Fontes* l. c. vol. VII n. 4822): secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile, che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia, o la liberazione dal carcere e della pena capitale che gli sovrasta. S. Off. 12 jul. 1865 (*Fontes* n. 985): pro turcarum aliorumque infidelium intentione. Bened. xiv c. « *Ex quo primum* » 1 mart. 1756, § 23 (*Bullar. Bened. XIV*, t. III. P. II C. 54). S. Alphons. *Theol. Mor.* lib. VI. n. 308 ssq. Wernz, *Ius Decretalium*, t. III, n. 542. Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 46, nota 6. Lehmukl, l. c. n. 243 sq. Kober, *Der Kirchenbann*, S. 279 ssq. Sägmüller (ed. 3), *Kirchenrecht*, § 16. Hinschius, *System des kath. Kirchenrechts*, IV, S. 182 ssq. Goepfert, *Moraltheologie* (ed. 2; vol. 3 n. 84).

[5] Cfr. can. 1239, § 2. Bened. xiv, *De sacrificio missae*, lib. II, tit. XIII, n. 5. S. R. R. Dec. 47, n. 6 in Recent. P. VIII: verba « quibusvis » tamquam universalia omnia comprehendunt; n. 10: verba *universalia* sunt proprie, prout sonant, intelligenda; unde ab illis *abhorret* omnis interpretatio *restrictiva;* Dec. 276, n. 5. in Recent. P. 11.

[6] Haeretici et schismatici a S. C. S. O. considerantur uti excommunicati haeretici (12. VII. 1865 l. c. nota 4): « Haec prohibitio (Ecclesiae) existit

Creavitne Codex I. C. claritatem in hac difficili quaestione applicationis missae pro baptizatis acatholicis et excommunicatis? Supponendum videtur. Nam De Meester [7] scribit: « Ita (can. 2262) solvitur intricata controversia quae olim vigebat de applicatione Missae vitandis et toleratis ». Estne quaestio vere soluta? Interpretes Codicis concordantne saltem in substantialibus? Videtur, quod non. Circa personas, pro quibus applicatio fieri potest, adhuc regnat discordia inter auctores. Ut taceam de illo termino: « privatim applicare ». Quaenam controversia?

Circa personas, pro quibus vi Codicis missa applicari poterit, Noldin-Schmidt [8] distinguit tres classes:

1. *Publica* applicatio prohibetur: a) pro excommunicatis quibuslibet vivis; b) pro defunctis, quibus denegata fuit sepultura ecclesiastica, prohibetur non solum missa exsequialis, sed etiam anniversaria.

2. Etiam *privata* applicatio prohibetur pro excommunicatis vitandis; solum pro conversione eorum licet privatim offerre sacrum.

3. Inde *privatim* licet pro omnibus, fidelibus et infidelibus, vivis et defunctis applicare, exclusis solis excommunicatis vitandis; *publice* vero pro omnibus, exceptis insuper sub n. 1 relatis. Cappello [9] habet: « etiam pro infidelibus celebrari debet 'privatim' ». Vermeersch-Creusen [10] haec ad rem: II. Subiectum *cui licitum.* — Principium est: Pro omni subiecto capaci, quod Ecclesia non excludit, licet offerre sacrificium. Iam vero, novo suo iure, Ecclesia canone 809 nec infideles nec acatholicos excludit; a *publica* tamen applicatione excludit *excommunicatum*: pro quo igitur privatim tantum ac remoto scandalo, missam applicare licet; *vitandum* autem simpliciter excludit, ita ut pro sola eius *conversione* missam offerri sinat (c. 2262, § 2). Quare etiam post mortem suffragiis privatur. — Nihil autem obstat quin *sollemnia* fiant pro *catecumeno.*

Privatim fit applicatio, quando publica pronuntiatio omittitur et nomen eius pro quo celebratur in missa non exprimitur.

Scandalum hic *removendum* est, potissimum offensio fidelium qui, in certis adiunctis, conscii facti celebrationis, eam cupidini lucri vel cuidam « indifferentismo » ascriberent.

---

pro excommunicatis, et consequenter pro haereticis, qui sunt omnes excommunicati ». Bened. xiv C. « *Ex quo primum* », § 23. Hollweck, l. c. § 101, nota 2. Cappello, *De Sacr.*, vol. I, n. 618, 3.

[7] *Compendium* I. C. n. 1760, 2°, c.

[8] *de Sacramentis* (ed. 19) n. 178; ed. 30 n. 178.

[9] l. c. 618, n. 4.

[10] *Epitome I. C.* ed. 7 vol. II, n. 80.

Post c. 809, praetermitti iam possunt variae distinctiones inter haereticos et infideles, uti solebant scriptores, nixi nonnullis particularibus SS. CC. responsis, ita ut severius de haereticis et schismaticis quam de infidelibus dicerent. Publica vero celebratio, etiam pro principe qui in haeresi defunctis sit, omnino prohibetur (Cfr. *Brevia Gregorii* XVI, 16 febr. et 9 iul. 1842 ad episcopum Augustanum et abbatem monasterii Schyrensis O. S. B. *Acta Greg.* XVI, 3, n. 137 et n. 165. — C. I. C. *Fontes*, II, 499, 500). Cum autem regnare incipit, sollemnis functio pro regni prosperitate adornari potest.

Hactenus dicta valent de fructu missae ex opere operato. Nihil autem prohibet sacerdotem et fideles, quin celebrationem vel participationem suam missae tamquam suum opus bonum offerant pro quolibet vivo vel defuncto qui ex natura rei non excluditur.

Secluso scandalo et omni superstitione, stipendium practice recipi potest ab omnibus pro quibus licet offerre missam [11].

---

[11] Pro mea humili sententia etiam post Codicem distinctio facienda est inter excommunicatos sive catholicos sive haereticos sive schismaticos ex una parte et infideles seu non baptizatos ex altera parte. Rationes sunt: a) ratio intrinseca b) extrinseca. Ratio intrinseca haec est: excommunicatio est poena et ideo secum portat privationem (can. 87). Ecclesia intendit excommunicatos *punire;* sacerdos non poterit *nomine Ecclesiae* pro ipsis orare. Quam mentem clare exprimunt Salmanticenses, *Cursus Theol. Mor., de Censuris,* cap. 3. n. 52; *de Sacrificio Missae,* cap. II n. 14 ssq. Homines autem non baptizati non sunt ab Ecclesia puniendi, sed invitandi et lucrifaciendi. b) Ratio extrinseca resultat ex doctrina S. Ecclesiae. Magnam distinctionem inter excommunicatos et non baptizatos S. C. S. O. ipsa clare evolvit in decisione 12. VII. 1865 (*Fontes* l. c. n. 985). Quaesitum fuit: « utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere ». Responsio haec fuit: « Affirmative, dummodo non adsit scandalum ac nihil in missa addatur, et quoad intentionem, constet nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse ». Instructio adiecta indicat causam decisionis: « Può dirsi col Bellarmino (*De Missa,* lib. VI, Cap. VI): certum est, etiam ex natura rei, *si nulla sit prohibitio Ecclesiae,* licere offerre pro huiusmodi hominibus (qui extra Ecclesiam sunt). Ora *questa proibizione* esiste pro excommunicatis, et consequenter pro haereticis, qui sunt omnes excommunicati, ma non per gl'infedeli e conseguentemente può per essi offrirsi il sacrificio della Messa, nam haec traditio, imo et Apostolica constitutio est.., neque exstat quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibitio ». Pro tota quaestione summi momenti est nota S. C. S. O. circa diversam praxim eiusdem S. C. Verba haec sunt: « Vuolsi peraltro qui cautamente avvertire che siccome sogliono talora ques'infedeli richiedere speciali preghiere da inserirsi nella sacra liturgia o vengono mossi a ciò da false idee o da superstizione: ove certamente constasse o si avesse dallo insieme delle circostanze fondato dubbio aliquid mali aut erroris aut superstitionis subesse, ovvero si esigesse apertamente ut aliquid in Missa addatur contro le canoniche

« PRIVATIM »

De hoc termino nullo modo regnat unitas inter auctores, quamvis solutio quaestionis dependet a recte intellecto hoc termino. Noldin-Schmidt [12] habet: *Publica* dicitur applicatio, si ex rei natura (v. g. missa exsequialis) vel ex annuntiatione facta commu-

---

prescrizioni, non si potrebbe offerire la Messa per tali richiedenti, nè accettare la elemosina, perchè si farebbe cosa illecita, e si terrebbe mano a simili pregiudizi ed errori, ed in questo senso appunto si trovano date più volte dal S. Offizio risposte negative ». Huc pertinet decisio S. C. S. O. 14 maii 1779 (*Collec.* n. 535). Casus hic fuit: « Turcae Chocini in Moldavia incolae occasione rerum suarum deperditarum aut furto-ablatarum, ad fratres Minores Conventuales proxime distantes oblationes quasdam mittunt, urgentes per suum missum quatenus ope divi Antonii Patavini quem Turcae Camenecii vivere opinatur, res amissas rehabere valeant. Fratres Minores Conventuales haec tria Dubia proposuerunt: 1) an Fratres Minores a turcis oblationes recipere valeant? 2) An pro turcis possint Missae celebrari? 3) An oblationes illas possint accipere titulo eleemosynae, pro Missa celebranda ad altare S. Antonii secundum offerentis exigentiam seu intentionem? Responsum fuit: « iuxta propositas facti circumstantias non licere ». S. C. censuit responsum dandum *non in abstracto*, ut dici solet, et seiunctum ab iisdem circumstantiis, sed *in concreto* et relate ad propositas facti circumstantias. Factum concretum hoc est: « in oculos enim statim incurrit putida, immo vero etiam ridenda superstitio turcarum, qua implorant S. Antonium Patavinum, opinantes eum adhuc Camenecii vitam ducere; qua oblationes mittunt ad finem dumtaxat temporalem obtinendum; qua demum vel ipso sacrosancto Missae sacrificii, quo nihil in Ecclesia Christi augustius, abuti solent iuxta propriam exigentiam et intentionem sane non rectam, et intrinsecus superstitiosam ». Contra abusus etiam est Instructio S. C. de Prop. Fide 25. II. 1837 (*Collectanea* n. 854; *Fontes* l. c. n. 4765). Praefectus Missionis Epiri scripserat ad S. C. de ecclesia S. Antonii loci vulgo *Capo Redoni* in archidioecesi Durrachiensi (Durazzo): « in questa chiesa il 13 Giugno, alla quale solennità compariscono gli ottomani quasi per metà, dove portano di più che cristiani la limosina all'altare, e danno le messe da celebrare alla loro intenzione; anzi le loro donne, quando si ammalano, vengono alla Chiesa in quel giorno ed in altri giorni feriali, e si mettono sotto nell'antipendio dell'altare, e si celebra sopra le medesime ». S. C. damnat abusum mulierum, non autem eleemosynas infidelium oblatas pro « qualsiasi oggetto del divin culto ». Sive dentur eleemosynae sive non, sacerdotes non pro alio scopo ac pro conversione « porgere incessanti preghiere al Signore ». Quo Decreto non obstante, eadem S. C. 11. III. 1848 respondit « Affirmative » ad quaestionem: « se possa un missionario ricevere la limosina della Messa, ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile, che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia e la liberazione dal carcere e dalla pena capitale, che gli sovrasta ». (*Collectanea* vol. I n. 1028; *Fontes* l. c. n. 4822). Distinctionem applicationis pro paganis et excommunicatis Bened. XIV clare evolvit in cit. C. « *Ex quo primum* » § 27; cf. Salmanticenses, *de Missae sacrificio* l. c. n. 18 sq.

[12] l. c. n. 178 l. L. Haring l. c. p. 373 item notat hanc distinctionem.

nitati notum est pro quo applicetur; *privata,* si soli sacerdoti vel uni alterive (v. g. danti stipendium) notum est ». Opinionem Vermeersch-Creusen iam in prima parte citavimus. Eichmann [13] can. 2262 § 2 n. 2 sic explicat: licet sacerdotibus tum motu proprio tum ad preces aliorum, inter quos etiam excommunicatus ipse esse poterit, celebrare *missas privatas* pro tolerato sub quacumque intentione v. g. pro sanitate corporea, pro fausto itinere etc. Eichmann-Moersdorf [14] canoni 2262 hunc sensum subicit: Ecclesia dat sacerdotibus licentiam celebrandi s. sacrificium missae *modo privato* et remoto scandalo pro excommunicato, nisi sit vitandus. *Ad vitandum scandalum* oblatio s. missae pro excommunicatis non est publicanda; tamen licet modestum personarum seriarum numerum reddere informatum. « Privatim » oblatio s. missae hoc loco non stat in oppositione ad « solemnem » oblationem; nam tum privata cum solemnis missa sunt cultus publicus et eodem modo exposita scandalo. « Privatim » potius hanc veritatem edicit: excommunicatus non potest ad instar membri activi Ecclesiae partem habere in offerendo sacrificio missae, quae solummodo ad ipsius utilitatem offerri potest, quin ipse admittatur ad participationem sacrificii; nam in hac participatione substantialiter visibilis evadit viva Ecclesiae unitas (cf. can. 2259 ssq.). Iuxta axioma: « exceptio probat regulam » S. Ecclesia in liturgia feriae VI in Parasceve orat pro haereticis et schismaticis imitans Redemptorem, qui in Cruce pendens *unice* amori misericordiae indulsit. Cappello [15] intrat in difficultates scribendo: « Quid signi-

---

[13] *Das Strafrecht des Codex jur. can.* p. 94.

[14] *Lehrbuch des Kirchenrechts,* ed. 7 vol. III. p. 387.

[15] *De Censuris* (ed. 2) n. 156. e; *de Sacr.* vol. I. n. 620. Hollweck, *die Kirchlichen Strafgesetze,* Mainz 1899, qui summum influxum in ius poenale C. I. C. exercuit, exhibet in § 46 nota 6 uberem explicationem circa privationem communium ecclesiae suffragiorum (cc. 28, 38. X. V. 39) censetque bene distinguendum esse inter suffragia privata et publica; in specie tractatur de applicatione missae pro excommunicatis, notatque contra Avile haereticos non esse vitandos, sed toleratos excommunicatos. Auctor iam 1899 censuit pro vitandis missam privatim applicari posse ad impetrandam conversionem (can. 2262 § 2 n. 2; cf. S.C.S.O. 19. IV. 1837; *Fontes* 1. c. n. 876); deinde auctor exhibet diversorum scriptorum opiniones notatque: confusionem in doctrina creavit Navarrus (*Manuale* c. 27. n. 36; de oratione et horis can. c. 19 n. 68 ssq.), qui recedens a doctrina communi affirmavit suffragia publica, etiam s. sacrificium missae *licite* pro quolibet excommunicato applicari posse, dummodo sacerdos sibi persuasum sit excommunicatum esse aut mortuum aut esse in statu gratiae. Quamvis gravissimi auctores hanc doctrinam reicerint, non erat amplius eliminanda. Sine ullo accurato doctrinae examine tum in doctrina tum in praxi ex mera auctoritate extrinseca opinio haec pertrahitur. Idem Hollweck in § 101 nota 2 haec habet: pro defunctis haereticis publice

ficat Missam privatim applicare? Plures cum S. Alphonso censent eatenus sacerdotem ' offerre Missam privatim ', quatenus est opus proprium suae privatae personae, non autem nomine Ecclesiae, vel ut minister Christi. Haec opinio, prout affirmat sacerdotem litantem non offerre sacrificium Missae qua ministrum Christi nullo modo sustineri potest; prout asserit Sacrum a sacerdote fieri nomine proprio, non autem nomine Ecclesiae, item sustineri nequit. Privata celebratio opponitur publicae sive sollemni i. e. cum aliqua pompa sive apparatu externo peractae ».

De Meester [16] illud « privatim » sequenti modo explicat: « exclusis omnibus publicitatis signis ita ut intentio unice cognoscatur offerenti et petenti et insuper exclusa omni missae sollemnitate ».

Quid tandem aliquando intelligendum est sub termino « privatim applicare »? [17]. Theoretice seu abstracte illud « privatim »

---

et solemniter *numquam et in nullo casu*, ne pro regnantibus quidem, missa celebrari poterit. Privatim ad summum sub intentione pro *omnibus* defunctis in purgatorio. Numquam autem haec celebratio missae fieri poterit in connexu cum ipsa sepultura.

[16] l. c. n. 1760. Sägmüller l. c. p. 83 loquitur de missis privatis: opponuntur missae solemnes, solemne Requiem; in ed. quarta § 17 dicitur: licet sacerdoti... privatim pro excommunicato tolerato missam celebrare. Unde pro defuncto acatholico regnante non licet sacerdoti celebrare solemne Requiem. De diversa significatione termini « missa privata » cf. Bened. xiv *de sacrif. missae* lib. II cap. 22 n. 7; Hinschius l. c. p. 198; Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes*, vol. II p. 660. Haring l. c. 373 confitetur se in suis « *Grundzügen des Kirchenrechts* » ed. 3 p. 571 adhuc respexisse S.C.S.O. 7. IV. 1875 (*Fontes* l. c. n. 1041). S. C. declaravit illicitum missam offerre pro illis qui in manifesta haeresi moriuntur, etiam pro casu, quo huiusmodi applicatio tantum sacerdoti et illi qui dat eleemosynam, nota esset. In articulo citato Haring indulget mitiori opinioni, cuius probabilitatem admittit. Mitior opinio intelligit sub voce « publice applicare » applicationem publicatam.

[17] De diversa significatione « privatim, privatus, publice, publicus cf. can. 239, § 1, n. 14; 759, 848, 855, 976, 998, 1000, 1007, 1037, 1102, 1004, 1122, 1162, 1188, 1189, 1194, 1256, 1259, 1274, 1277, 1279, 1308, 1325, 1813, 2197, 2271, 2309; Lauer, *Index verborum C.I.C.* v. privatus, privatim, publicus, publice; Moersdorf, *Rechtssprache des Codex Iuris Canonici* v. privatus, publicus. Decretum S.C.S.O. 13. III. 1625 (*Fontes* C.I.C. n. 719) de cultu *publico* servis Dei non exhibendo; qui cultus publicus potest etiam exhiberi in locis *privatis*. Publica oratio Ecclesiae iam in hoc consistit, quod celebrans missam in Canone nominat Episcopum loci: « et Antistite Nostro N. ». Et tamen Canon secreto dicendus iuxta Rubricas Generades Missae (Ritus celebrandi Missae; de Canone Missae). Episcopus excommunicatus non potest nominari in Canone (Gasparri l. c. n. 912. Bened. xiv in C. « *Ex quo primum* » 1 23. Salmanticenses, *de Missae Sacr.* c. II, n. 17). *De distinctione* inter suffragia et preces publicas scribit de Meester l. c. n. 1760: « nomine suffragiorum Ecclesiae in genere veniunt preces et opera bona, quae spiritualia auxilia procurant, sive id fiat ex opere operato ut in sacrificio missae,

diversos sensus admittit. Verus sensus resultat, si cognoscitur in singulis casibus oppositum termini « privatim ». Salvo meliori iudicio infrascriptus oppositum illius « privatim » in § 2 n. 2 can. 2262 credit invenisse in § 1, quae ita profertur: « excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, *publicarum Ecclesiae precum* ». Vis huius textus posita est in voce « *publicarum* ». Expresse effectus excommunicationis hic est: excommunicatus non evadit particeps precum *publicarum* Ecclesiae. In participatione orationis publicae ab Ecclesia pronuntiatae habetur virtualis communio cum Ecclesia; per talem communionem excommunicatus censendus esset membrum Ecclesiae « cum omnibus Christianorum iuribus » (can. 87). Consequenter ad § 1 Ecclesia in § 2 circa actiones privatas fidelium (orationes privatas, applicationem missae privatam) duplicem normam statuere potest: fideles prohibentur aut fideles non prohibentur. Ecclesia potuit, si voluit, etiam prohibere preces fidelium privatas pro excommunicato, etiam ipsam applicationem missae; de facto hanc prohibitionem urget in casu vitandi; pro ipso unam tantum applicationem permittit, sc. « ad eius conversionem ». Ecclesia poterit utique inter-

---

vel ad modum operis operati, ut in indulgentiis, sive ex opere operantis, ut in orationibus privatis et ieiuniis et eleemosynis. Auxilia praedicta sunt vel propitiationis, vel satisfactionis. Suffragia Ecclesiae sunt vel privata vel communia. Suffragia privata sunt ea quae proveniunt ex bonis operibus quae fideles proprio nomine et persona sua particulari peragunt. Talia sunt ieiunia, orationes et alia, quae a privatis fidelibus vel Ecclesiae ministris ceu personis privatis fiunt. Suffragia vero communia ea sunt, quae fidelibus proveniunt ex bonis operibus Ecclesiae factis ab eius ministris; ut sunt Missae, horae canonicae, aliaeque orationes et opera, quae ab Ecclesiae ministris qua talibus et nomine ipsius Ecclesiae peraguntur. Ad haec revocari debent satisfactiones, quae thesaurum Ecclesiae constituunt et a Praelatis Ecclesiae per indulgentias applicantur. Haec suffragia communia in Codice distinguuntur in indulgentias, suffragia et publicas Ecclesiae preces. Suffragia quatenus a publicis ecclesiae precibus secernuntur, censentur praesertim fructus Missae, quatenus huius celebratio est actio Ecclesiae, et fructus, qui ex publicis ministrorum officiis derivantur. Cfr. insuper Vermeersch-Creusen, *Epitome* III, n. 464; Ferreres, *Institutiones Canonicae* (ed. 2), vol. II, n. 1021; Cappello, *de censuris*, n. 156; Hollweck, l. c. § 45, nota 6; Salmanticenses, *de Censuris*, c. III, n. 51, 56; Gonzales in c. 28, X, V, 39 ». Postquam Reiffenstuel, *Ius Can.* lib. V, tit. 39 n. 54 ssq. locutus est de triplici communione fidelium sc. interna, mixta, externa, n. 59 declarat: « certum est excommunicationem non privare fructu orationum et aliorum bonorum operum, quae alii fideles proprio nomine et privata intentione excommunicatis applicant, sed illo dumtaxat fructu, quae ex orationibus et sacris actionibus nomine Ecclesiae peractis cuivis fideli non excommunicato obveniunt, ut proinde quivis licite et meritorie simulque fructuose pro excommunicato possit privatim orare et pia opera peragere ».

dicere preces privatas et applicationem privatam, sed non reddere illa inefficacia. Uti dixi: in can. 2262 § 2 n. 1 Ecclesia non interdicit fidelibus illud « privatim orare ». In hoc loco illud « privatim » opponitur « publicis Ecclesiae precibus ». Uti ex definitione termini « preces publicae » ab auctoribus usitata elucet, publicae preces nullo modo opponuntur precibus occultis aut secretis. Preces publicae Ecclesiae possunt esse totaliter secretae (v. g. recitatio Breviarii, missa privata in cubiculo privato, nemine assistente, Benedictio papalis in articulo mortis, nemine assistente); ex altera parte preces fidelium possunt esse perfecte publicae. Si multitudo peregrinorum recitando Rosarium transit Urbem et Orbem, oratio est et manet oratio privata. Unde illud « privatim » orare idem est ac nullas preces rituales et liturgicas nomine Ecclesiae proferre. Quam mentem Bened. XIV in cit. Const. « *Ex quo primum* » § 23 clare exprimit scribendo: « Porro haeretici et schismatici excommunicationis maioris censurae subiecti sunt... Sacri autem Ecclesiae canones pro excommunicatis orare publice vetant... Et quamvis id non obstet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita praestari non debet, ut eorum nomina in solemni sacrificii prece pronuncientur; quod plene congruit veteri disciplinae... Satis est in eum finem *mente animoque* Deum Optimum Maximum rogare, ut aberrantes ad viam salutis et ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum reducere dignetur. Atque haec est ipsiusmet Sancti Thomae doctrina in 4. Sent. dist. 18 quaest. 2; art. 1 in responsione ad primum: Pro excommunicatis orare potest, quamvis non inter orationes, quae pro membris Ecclesiae fiunt. Neque ut huic Christianae caritatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiae quae a Fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina qui se ab illius unitate et obedientia separarunt; quaeque, dum prohibet, *ne* pro his *publice oretur, eorum certe commemorationem ab officio Missae quae publicum est Sacrificium excludit.* Quapropter Ven. Cardinalis Bellarminus *Controversiarum Tom.* III, lib. 6 *de Missa* c. 6 optime ad rem nostram scribit: Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore sacrificium offerre pro Haereticorum sive Infidelium conversione. Ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latinae Ecclesiae, quae nunc est in usu, refertur ad fideles, ut patet ex precibus oblationis, tum extra tum intra Canonem. Respondeo: Existimo id licere, modo nihil addatur ad missam, sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni infidelium seu Haereticorum: id enim faciunt Viri pii et docti, quod reprehendere non possumus, nec exstat Ecclesiae prohibitio ».

Ex illo termino « privatim orare » pons construendus erit ad

terminum: « *privatim applicare* ». Quid ergo est « privatim applicare »? Celebrare missam privatam? celebrare missam in abscondito? Occultare intentionem applicationis? Quae omnia non videntur reddere sensum proprium. Pro mea humili sententia illud « privatim applicare » sequentem mentem exprimit: pro excommunicato in s. sacrificio missae *nulla oratio publica* Ecclesiae recitanda erit. Quae expositio plene correspondet axiomati iuridico, quod statuit Wernz l. c. lib. III. tit. XX nota 154 « eousque certe porrigitur prohibitio Ecclesiae pro sacerdote, quousque sese extendit privatio excommunicati ». Privatio, ut vidimus, refertur ad preces publicas Ecclesiae. Fingamus celebrationem missae pro haeretico. Sacerdos non amplius applicat privatim, si utitur formulari Missalis pro die obitus, pro septimo, pro tricesimo, pro anniversario. In hoc casu « publice » i. e. in publicis Ecclesiae precibus in foro externo memoriam faceret excommunicati, effunderet preces Ecclesiae contra prohibitionem can. 2262. Idem dic de celebratione anniversarii pro *pluribus* defunctis. Si anniversarium celebratur pro *omnibus* membris familiae, sive catholicis sive acatholicis, in oratione etiam acatholici comprehenduntur sub verbis: « quorum anniversarium depositionis diem commemoramus ». Alio modo res se habet in missa pro *omnibus defunctis;* in tribus orationibus pro Episcopis seu sacerdotibus, pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus, pro omnibus fidelibus defunctis ne uno quidem verbo fit commemoratio excommunicatorum. Quae orationes nomine Ecclesiae recitantur pro omnibus illis defunctis, pro quibus *Ecclesia* suas preces fundit; non autem fundit preces pro excommunicatis; indirecte in oratione pro *omnibus defunctis* excommunicati excluduntur; si autem missam celebrans in oratione liturgica nominat personam singularem (pro defuncto N.) aut plures (pro defunctis familiae N.), Ecclesia exhibetur uti orans pro omnibus in oratione expressis; tali modo celebrans missam, in quantum ab ipso pendet, tollit effectum iuridicum excommunicationis; ipse tendit ad restitutionem communionis virtualem excommunicati cum Ecclesia mediante oratione liturgica.

Si agitur de *vivis* excommunicatis, pro mea humili opinione applicatio missae non est amplius applicatio privatim facta, si in oratione *liturgica* fit memoria excommunicati; applicatio esset publica, si sacerdos uteretur formulari pro infirmo, pro moribundo, pro quacumque necessitate aut si adhibet pro ipso orationem liturgicam. Ecclesia in suis orationibus non cognoscit excommunicatum: habetur contradictio in terminis, si sacerdos celebrans recitat pro *excommunicatis* orationem *communionis cum Ecclesia.* Ne in die quidem feriae VI in Parasceve Ecclesia memoria facit

excommunicatorum qua talium, sed solummodo haereticorum et schismaticorum; quod fit sub ratione: « animae diabolica fraude deceptae » et « corda errantium » [18].

Ecclesia concedit pro vivis excommunicatis illud « privatim applicare », quia applicatio fructuum s. missae est ad actus priva-

---

[18] S. Alphonsus l. c. lib. VI, n. 309 quaerit: an licite sacerdos possit orare aut offerre Missam, nomine Ecclesiae vel ut minister Christi, pro excommunicato tolerato? Respondet: negant Suarez etc.; sed probabilior est opposita sententia. Ratio, quia in dicta extravaganti (ad evitanda) conceditur fidelibus communicare cum illis, etiam in divinis. Opinio Sancti pro se habet consequentiam; *si* communicatio in divinis cum excommunicatis est licita, utpote ab Ecclesia ipsa permissa, licite etiam eorum fit memoria in oratione liturgica. Hollweck e contra (l. c. § 46 nota 6) expresse notat: Const. « *Ad evitanda* » Martini V *nullo modo* per distinctionem inter excommunicatos vitandos et toleratos voluit *subvenire ipsis excommunicatis*, sed intendit evitanda scandala et multa pericula et vult *subvenire conscientiis timoratis;* ideo Papa misericorditer indulget, quod nemo (sc. non excommunicatus) a communione abstinere vel vitare debeat ratione alicuius censurae. C. « *Ad evitanda* » in Fontibus C.I.C. allegatur sub n. 54 uti Decretum Concilii Constantiensis emissum a. 1418. Hollweck, l. c. § 48 nota 1, aliam originem asserit: Const. Martini in Actis Concilii Constantiensis summa cum diligentia collectis *non invenitur*. S. Antoninus hoc asserens sine dubio erravit. « Decretum » est ex Concordato cum Natione Germanica, quod tamen numquam exsecutioni datum fuit. Revera Mercati Angelus in « *Raccolta dei Concordati* » commemorat *Concordati* di Costanza a. 1418; tertium est « colla Germania » (p. 157-165); in cap. VII p. 163 habetur textus ad evitanda. Fontes C.I.C. insuper omittunt verba gravissima Concordati: « per hoc tamen *non intendimus relevare neque iuvare* sic excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos ». Decretum etiam invenitur in Actis Concilii Basileensis, sed cum *una* essentiali mutatione. (Sess. XX, II. Mansi XXIX, Venetiis 1788, 103). Textus Basileen. invenitur etiam apud Mercati l. c. p. 163; etiam Basileen. pronuntiat illa verba summi momenti: « per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari ». Mercati notat l. c.: Navarrus « in questo punto ha fatto confusione fra i due concilii ed ha attribuito al Concilio di Costanza il testo fissato da quello di Basilea ». Textus Basileen. transiit in Concordatum Leonis X cum Francisco rege Galliae a. 1516 (Mercati l. c. p. 244 sq.); etiam textus Concordati gaudet clausula: « per hoc tamen etc. ». Textus Concordati fuit approbatus a Conc. Lateran. V. Essentialem differentiam inter textum sic dictum Constantiensem et Lateran. V. indicat Hollweck l. c. § 48 nota 1. declaratque: repugnat *omnibus principiis methodi iuridicae* habendi sic dictum textum Constantiensem uti textum decisivum et explicat hanc repugnantiam. Cappello, *de Sacr.* vol. I. n. 619.50 statuit hanc normam: « si haereticus vel schismaticus ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa, sacrificium eucharisticum certe potest pro eo offerri et quidem *publice;* ratio est, quia tunc ad ipsam quoque sepulturam ecclesiasticam admittitur (can. 1240, 1, 1°) ». Valetne adhuc in casu c. 28 X V V. 39: « quantacumque poenitentiae signa praecesserint, si tamen morte praeventus *absolutionis non potuerit beneficium obtinere,* quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, *nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus* (sc. a censura) »?

tus sacerdotis; ipsa missa autem uti actus liturgicus est semper actus publicus Ecclesiae. Ideo bene dicit Lehmkuhl (l. c. n. 243): « Quod ergo aliquando a scriptoribus dicitur sacerdotem posse pro excommunicato vitando uti personam privatam Missam celebrare, id sane ambiguum est. Nam in celebratione semper personam publicam agit ». Vermeersch-Creusen l. c. vol. II n. 80 bene habet: « *privatim* fit applicatio, quando publica pronuntiatio omittitur et nomen eius, pro quo celebratur, in missa non exprimitur ». Sensus obvius can. 2262 hic mihi esse videtur: in ipsa missa qua actu liturgico nulla fit memoria nominis eius, pro quo celebratur. Sensum secundarium pronuntiant auctores scribendo: « privatim fit applicatio, quando publica pronuntiatio omittitur ». Excluditne illud « privatim applicare » revera publicationem intentionis? Videtur, quod sic. Ratio haec est: si ab organo hierarchico in pulpito aut in diario parochiali celebratio missae publicatur, necessario creatur suspicio: ecce Ecclesia catholica permittit actum liturgicum pro excommunicatis. Per publicationem intentio privata recipit formalem characterem publicitatis. Publicationi aequiparandus est sequens actus: si *ex circumstantiis applicationis* fideles *necessario* hanc conclusionem facere debent: sacerdos hic et nunc celebrat pro excommunicato. Talis casus evenire poterit post mortem acatholici. Si familia defuncti partim catholica partim acatholica vestita habitu lugubri missae de Requiem assistit, fideles vi logica sibi formabunt hanc conclusionem: Ecclesia catholica celebrat Requiem etiam pro acatholicis. Sine dubio cel. *Instructio Eystentensis* § 17 hunc casum ante oculos habet statuendo: « Unde occasione funeris alicuius acatholici sive in die depositionis sive tertii sive trigesimi et anniversarii ne id quidem locum habere debet, ut sub specie ficta pro cognatione forsan catholica vel pro omnibus fidelibus defunctis Missae sive solemnes sive privatae sive sub ritu lugubri sive in colore celebrentur ». Similis erat cel. casus Schyrensis (Scheyern in Bavaria). Condicio haec erat: « Significas Carissimum in Christo filium Nostrum regem Bavariae in restituendo vobis coenobium apposuisse condicionem, ut monachi in sua ecclesia funus celebrare tenerentur pro rege ipso, cum moreretur, et in anniversariis porro diebus in perpetuum, itemque pro regina coniuge, ac pro futuris proinde regibus seu reginis tum in cuiusque obitu tum in diebus anniversariis, qui usque ad subsequentis mortem intercedent. Addis autem te quidem iam tum praesensisse difficultatem ex eo facile obventuram, quod serenissima regis *uxor a catholicis sacris aliena est;* sed nihilominus ex cuiusdam prudentis, ut putabas, viri consilio, induxisse animum, ut conditionem illam acciperes *ea mente,*

ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium missae in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim ». Quando regina acatholica defuncta fuit, abbas Rupertus Leiss petiit Instructionem. Papa respondit: « Nos igitur sanctissimis insistentes Ecclesiae regulis respondemus intentionem illam offerendi *divinum sacrificium* seu *alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandam publici funeris causam, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est et in eius obitus aut annua die celebratur... Condicio illa incaute a vobis suscepta ad sola catholicorum principum funera restringatur* ». Ratio responsi patet: in toto actu est manifesta fraus: a parte monasterii celebratur funus publicum pro regina acatholica; iustissime omnis sive catholicus sive non catholicus sibi persuasum habet: pro regina *acatholica* celebratur anniversarium *suae* mortis solemni pompa.

Applicatio missae pro catholicae familiae membris nihil aliud est nisi rei deformi colorem fictum dare. Ideo bene scripsit Gregor. XVI: « Nec enim permittere possumus, ut ullo modo *fraus* fiat prohibitioni illi, quae in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando » [19].

Non sembrerebbe inesatto, quindi, affermare che, nell'articolo che si va esaminando, sia stato introdotto un principio di diritto singolare. Il noto frammento paolino avverte, infatti, che « Ius singulare est quod propter aliquam utilitatem auctoritate costituentium, introductum est ».

Quale la « ratio legis » di tale aspetto singolare che la norma in esame presenta al lume dei principî?

Crediamo di non andare errati affermando che l'utilità del principio possa ravvisarsi nella opportunità di lasciare ai soggetti del rapporto di lavoro un più vasto ambito, nel quale la rispettiva autonomia possa esplicarsi sia al fine di assicurare al lavoratore una qualsiasi occupazione anche se retribuita in misura inferiore ai minimi prescritti, sia allo scopo di consentire al datore di lavoro di corrispondere una retribuzione in misura più congrua di quella prescritta, ricorrendo particolari attitudini di operosità e di specializzazione del lavoratore. E non potrà certo negarsi che l'autonomia dei privati, esplicata nell'uno o nell'altro senso, non persegua fini sociali o socialmente utili [2].

4. - Dalle considerazioni fin qui svolte (e se le relative argomentazioni sono esatte) dovrebbe concludersi che il giudice potrebbe ricorrere alla applicazione del principio equitativo solo se difettasse una norma espressa o mancasse un preventivo accordo

---

[2] A nulla rilevando, nei casi predetti, eccepire l'obbiettiva presenza di uno squilibrio tra le rispettive prestazioni (contro Smuraglia) perchè, tutto dato per ammesso, tale squilibrio non potrà mai assurgere a rilevanza apprezzabile e tale da infrangere i principi in materia di diritto di lavoro.

tra le parti [3]; anzi dovrebbe aggiungersi che, ove non difettasse l'accordo preventivo tra i soggetti del rapporto di lavoro, la norma dell'art. 2099 C. C. non potrebbe invocarsi nè, sotto tale profilo, tale norma potrebbe porsi in relazione con l'art. 36 del nostro testo costituzionale.

Discenderebbe da questa constatazione anche la profilabilità, almeno in via di dubbio, di un'ulteriore questione: se, cioè, venendo meno la possibilità di ricorso ad un articolo di legge (pari a quello attualmente codificato nell'art. 2099 C. C.), il giudice avesse concretamente il modo di applicare, autonomamente, il principio costituzionale.

Non solo.

Tale dubbio, infatti, si aggraverebbe sul terreno processuale perchè sorgerebbe il quesito, di natura preliminare, circa la competenza giurisdizionale nella soggetta materia.

5. - Per quanto concerne la determinazione relativa ai poteri equitativi commessi al giudice, la sentenza pecca, più specialmente, di un'errata interpretazione sia astratta, sia relativamente alla interpretazione dell'art. 2099 C. C.; il che è grave perchè il delicato potere di apprezzamento attribuito al giudice, pacificamente riconosciuto in dottrina e in giurisprudenza [4], si sostanzia appunto nella corretta concezione di tale potere equitativo che diviene quindi fulcro dell'esegesi dell'art. 2099 C. C.

L'equità qui delineata è l'equità del caso singolo e cioè un'equità modellata secondo i caratteri fisionomici della singola fattispecie. Solamente assumendo questi caratteri, eminentemente positivi, della nozione di equità si potrebbe togliere ad essa quella apparenza di generico e di imponderabile che ogni nozione puramente teorica prospetta all'interpretazione e allo studioso; e specialmente all'interprete.

D'altra parte, dato il contenuto della controversia, la necessità di adeguare tale nozione ad una visione concretamente particolare e concretamente aderente alla fattispecie, doveva, intuitivamente, apparire solo se si fosse considerato che l'apprezzamento equitativo del giudice — nella combinata applicazione del Codice Civile e del testo costituzionale — non aveva e non poteva avere se non un fine e cioè quello di individuare un elemento moderatore

---

[3] Cfr. amplius:
Giuliano, « *Assicurazioni sind.* » op. cit. pag. 157; Scorza, « *L'art. 36 e la determinazione* »... op. cit.; Napoletano, « *Natura ed efficacia* »... op. cit.

[4] *Cass.* 29. 7. 1947 n. 1218 in *Mass. Giur. Lav.* 1947, 207 - *Cass.* 26. 3. 1954 n. 913 in *Riv. Dir. Lav.* 1954, II, 339.

di uno squilibrio economico tra i due soggetti del rapporto; ma del rapporto in sè e per sè considerato e non già di qualsiasi altro rapporto di lavoro consimile, anche se intercedente tra soggetti a quelli assimilabili.

Poichè ciò non è stato fatto, si deve concludere che l'equità del caso singolo è stata disattesa e travolta perchè il paradigma di riferimento o la norma di esperienza, o qualsiasi altra fonte di cognizione del giudice, se calzante ad un caso di specie, diviene arbitraria se giudicata idonea a qualsiasi fattispecie e a qualsiasi ordine di rapporti.

A tacer d'altro, nel caso specifico col tentare in modo impossibile e non consentito, di fissare un criterio generalizzante e livellatore si è giunti da premesse errate, a conclusioni altrettanto errate perchè si sono riavvicinati e giustapposti termini eterogenei di riferimento rispetto a ciascuno dei quali l'equità del caso singolo non poteva, in modo uniforme, applicarsi. In pratica ciò è accaduto con l'applicare un criterio di trattamento — previsto per professori di scuole statali — elevato a parametro per l'applicazione equitativa della norma invocata; applicazione equitativa che poteva apparir tale solo se, per ipotesi, si fosse dovuto trattare di decidere una controversia vertente tra dipendenti pubblici mediante il ricorso — in tal caso corretto — ad un identico criterio di trattamento conosciuto e attuato per altri gruppi di pubblici dipendenti. Poichè di pubblici dipendenti non si trattava, l'equità del caso singolo doveva — se del caso — desumersi aliunde.

L'equità, ad esempio, avrebbe potuto suggerire, nel caso di specie, l'opportunità di contemperare — qui dettando un criterio idoneo tratto dal combinato disposto dell'art. 36 C. e dell'art. 2099 C. C. — le opposte esigenze dei datori e prestatori d'opera, ma pur sempre nell'ambito ovviamente circoscritto di coloro che organizzano scuole non governative e di coloro che sono chiamati a svolgere le loro mansioni alle dipendenze dei primi.

Si tratta, toto coelo, di un mondo giuridico, sociale ed economico differente in quanto il prestatore d'opera, non selezionato in base a concorso nè — nella maggior parte dei casi — dichiarato ufficialmente idoneo alle delicate funzioni dell'insegnamento, a priori conosce di aderire a patti di lavoro e di retribuzioni che, oltre tutto, non gli attribuiscono menomamente uno status giuridico ed economico parificabile o riavvicinabile a quello degli insegnanti statali.

6. - La parte attrice nel giudizio, da cui ha tratto origine la sentenza annotata, per amore di tesi, aveva prospettato al giudice

che il raffronto tra le retribuzioni assicurate ai professori statali, svolgenti analoghe mansioni, dovesse costituire l'elemento concreto dal quale il magistrato, con una meccanica applicazione delle norme legislative e con un criterio indiscriminatamente generalizzante, potesse far uso dei suoi poteri di apprezzamento equitativi. Dalle parole della sentenza, si desume che il patrocinio dell'istituto convenuto aveva svolto tesi difensive. La sentenza non sa liberarsene perchè, con un andirivieni affannoso di argomenti, da prima, dichiara che nessun peso in causa dovrebbe avere la natura qualitativa delle due categorie di insegnanti e, in seguito, proprio condannando se stessa, dichiara che « ...un raffronto... tra la capacità professionale degli insegnanti statali e quella degli insegnanti privati... significa mettere in paragone termini tra loro non omogenei, poichè di tanto si potrebbe discutere solo se tutti gli insegnanti pubblici e privati avessero partecipato ad un *medesimo* concorso potendosi (e qui l'enormità è evidente) desumere dall'unica graduatoria la capacità di un soggetto rispetto ad un altro ».

Facile (ed anzi quasi non generosa) è la critica a siffatto malgoverno del modo di giudicare. Ogni regola di logica giuridica è tradita e se fosse concesso, e se un simile sospetto potesse sfiorare irriguardosamente la nostra mente, si dovrebbe dire che si è statuito in modo partigiano. Poichè ciò non può essere, resta l'infantilità di questo modo di esprimersi tutto a danno della ratio decidendi adottata, in quanto ci chiediamo come la sentenza abbia potuto concludere disponendo che il trattamento dovuto si dovesse automaticamente desumere dalla misura del trattamento assicurato alla categoria dei professori statali; ciò esprime, in terminis, l'arbitrio del procedimento logico seguìto. E' appena utile aggiungere che nessuno — e forse nemmeno la parte attrice — può essersi sognato di affermare che il riavvicinamento potesse e dovesse aver luogo rispetto ad insegnanti vagliati in identico concorso perchè — se ciò fosse stato — la controversia non sarebbe sorta e la sentenza non avrebbe avuto modo di prospettare siffatte, assurde, proposizioni.

Perciò, l'unico punto di fruttuosa discussione è quello, sfiorato ma non affrontato e comunque mal risolto dalla sentenza, concernente il modo di intendere la qualità delle prestazioni, in relazione al concetto di qualifica professionale e quindi in aderenza a una critica tecnica e diretta del fulcro centrale del tema da decidere.

La qualifica professionale, di cui parla la sentenza, dipende dalla concreta natura delle prestazioni esercitate; proprio perchè deve trattarsi di un concetto positivo e specifico e non astratto

e generico, quando manchi il vaglio ed il crisma ufficiale di un concorso statale, la qualifica non ha modo di agganciarsi al nomen iuris impresso alla categoria dalla conseguita idoneità nei modi di legge e che la stessa Costituzione impone tassativamente per l'accesso ad ogni pubblico ufficio e per il conseguimento di uno status giuridico. L'indagare sulla concreta sussistenza di qualità personali, professionali e di categoria, quindi nasce legittimamente, ma non può nascere se non sul terreno e nell'ambito della categoria degli insegnanti non statali.

Un'indagine analoga non solo sarebbe irrilevante, non solo sarebbe improduttiva, ma sarebbe preclusa in limine nell'ambito dell'insegnamento statale. Ed ecco che gli argomenti di critica, di cui fino a questo punto abbiamo creduto far uso, si saldano, si compenetrano e si illuminano a vicenda.

Se è vero — come è vero — e come, per avventura, la stessa sentenza ci dice, che la nozione di capacità professionale, presupposto alla determinazione della relativa qualifica, è ricerca opportuna e necessaria; se è vero che argomenti utili a tale ricerca non possono e non debbono scaturire dal distinto settore dal rapporto di pubblico impiego, avevamo ragione di sostenere che l'equità del caso singolo (e cioè quella che è la sola nozione di equità scritta nell'art. 2099 C. C.) non poteva mutuare le proprie fonti di convincimento — così giustificando se stessa — se non considerando le caratteristiche peculiari di assunzione in servizio e di conseguente corrispettività di obblighi fra le parti per quanto concerne il rapporto privatistico tra gestore di scuola non statale e insegnante di scuola non statale.

Anche qui, del resto, la sentenza dà torto a se stessa quando sbadatamente scrive che l'imprenditore *eventualmente* può servirsi di concorso per assumere personale. L'eventualità svuota di ogni consistenza l'argomento addotto, del resto filiforme, perchè ognun vede che un concorso statale è cosa ben diversa dal concorso ridotto, nel campo dell'impresa privata, ad una scelta del gestore privato, libero e incontrollabile nell'adozione e nella scelta dei criteri selettivi fra i postulanti.

7. - A conclusione della presente nota (peraltro suscettibile di ulteriori approfondimenti nell'interesse superiore di una vera giustizia sociale e cristiana) vorremmo trarre le fila un po' da tutto il panorama giuridico che abbiamo tentato delineare. Non tutto potrà apparire convincente nè noi presumiamo di averlo fatto, ma un risultato a noi par certo ed è questo: le norme della Costituzione, dettate sotto il titolo III ed attinenti ai rapporti economici

debbono essere interpretate con abile spirito esegetico, con estrema cautela di apprezzamenti perchè, forse ancor più che in altri campi, i costituenti ci hanno commesso una estrema delicatezza di oneri interpretativi. Essi hanno dovuto gettare le basi per colmare, con un nuovo edificio, il vuoto lasciato dalla distruzione dell'ordine corporativo. Anche per motivi eminentemente pratici, la Costituzione ha dettato caposaldi per un ordine nuovo a fini, probabilmente, ed in larga misura, programmatici; sempre con scopi pratici — e noi siamo convinti della giustezza di tale constatazione — la giurisprudenza delle Supreme Corti ha attribuito e riconosciuto valore precettivo a un gruppo di queste norme. Ma è precisamente là dove essa lo ha fatto — come è per l'art. 36 — che i criteri di applicazione debbono essere sorretti dai noti canoni che reggono e dirigono l'interpretazione restrittiva piuttosto che quella estensiva. Tutta la ratio del sistema si potrebbe altrimenti vulnerare e, in modo impossibile, sostituire il giudice al legislatore. L'art. 36 della Costituzione, pertanto, (riconoscendo ad esso valore di norma precettiva) deve ricevere quell'applicazione tassativa che, fino a nuovi interventi legislativi, non ne alteri la portata; ed in questa forma di interpretazione un saldo criterio, allo stato, ci è porto dalla retta comprensione dell'art. 2099 C. C.

SERGIO SPADARI

MASSIME

Cass.: Sent. n. 3690. Sez. I, 11-11-1958. Pres. Zappia - Est. Iannuzzi - P. M. Crisardi (C. A.) Verri c/ Proc. Gen. App. Torino.

Matrimonio contratto all'Estero fra cittadini italiani — In Tangeri sotto l'impero della legislazione sceriffiana — Osservanza del rito cattolico — Validità del Matrimonio.

Nell'epoca durante la quale Tangeri fu soggetta alla sovranità del Sultano del Marocco, e cioè prima della creazione della zona internazionale avvenuta con la Conv. 18-12-1923, era valido anche agli effetti civili il matrimonio contratto in quella città da cittadini italiani secondo il rito cattolico, e poi trascritto nei registri dello stato civile; nè a ciò era di ostacolo il regime della capitolazione, il quale non impediva che i sudditi Europei potessero liberamente eleggere la legislazione locale per il compimento di taluni negozi giuridici, non escluso il matrimonio.

(V° *Giud. Civile* 1958, I, 1801 con nota).

Cass.: Sez. II, 12-1-1957, n. 4362. Pres. Di Leva. Est. Calamari. P. M. Tavolaro (C. C.). Comune di Ferrara c/ Capitolo Cattedrale di Ferrara.

Rappresentanza in giudizio della Chiesa parrocchiale.

L'art. 15 della legge 17-5-1929 n. 848 stabilendo che le Chiese sono giuridicamente rappresentate dall'Ordinario diocesano, dal parroco, dal rettore o dal sacerdote che — sotto qualsiasi denominazione o titolo — sia legittimamente ad esse preposto, non precisa in quali casi la rappresentanza spetti all'Ordinario, al parroco, al rettore o ad altro sacerdote, onde deve ritenersi implicito, in detto art., il richiamo alle norme di diritto canonico. E pertanto, poichè la Chiesa succursale di una parrocchia che è destinata — come la Chiesa parrocchiale — all'esercizio delle funzioni inerenti all'ufficio di parroco, ha come rettore lo stesso parroco, versandosi non in ipotesi di uffici incompatibili (Can. 156 C. J. C.), ma di unione di ufficio « minus principalis » (Can. 1419 C. J. C.), nella quale la provvista canonica dell'ufficio principale importa

« ipso iure » il conferimento di quello accessorio, la rappresentanza di essa spetta al parroco della Chiesa principale [1].

L'art. 18 della l. 7-luglio 1866 n. 3036, escludendo gli « edifici di culto » dalla devoluzione al demanio di tutti i beni delle corporazioni religiose soppresse, in quanto appariva necessario conservare la loro destinazione a soddisfare effettive e concrete esigenze spirituali della popolazione, ha usato l'espressione « edificio di culto » in senso ampio, sì da comprendervi non solo gli edifici destinati a Chiesa, ma anche i « sagrati », consistenti in un'area di distacco tra le Chiese e le strade o piazze su cui prospettavano, i quali sono destinati esclusivamente ai fini di una migliore esplicazione delle attività di culto che vengono esercitate nelle Chiese e dello svolgimento di cerimonie religiose ed altri atti di culto che si svolgono all'aperto [2].

Cass.: Sez. I - 3 luglio 1958 - Pres. Oggioni - Est. Caporaso P. M. Caruso (cocl. conf).

Matrimonio — Dispensa pontificia del matrimonio rato e non consumato — Azione per danni.

Se in una causa di nullità di matrimonio per impotenza, il giudice ecclesiastico non abbia raggiunto la prova di tale impotenza, ma solo quella della inconsumazione, deve trasmettere gli atti alla competente Congregazione dei Sacramenti, perchè questa li utilizzi eventualmente nella procedura per la dispensa dal matrimonio rato e non consumato. Verificandosi tale ipotesi, la dispensa non dà diritto al coniuge che l'ha ottenuta, di agire contro l'altro per il risarcimento conseguente al disciolto vincolo matrimoniale, perchè l'art. 139 C. C. riguarda specificamente i casi di annullamento, e non è estensibile per analogia alla dispensa, che costituisce invece caso di scioglimento ex nunc del vincolo; nè l'azione può essere esperita, sotto il profilo dell'art. 2043 C. C. ponendo a suo fondamento lo stato di impotenza manifesta, ante-

---

[1] Sulla prima parte della massima si veda Cass. Sent. 2888 dell'anno 1955 e n. 516 dell'anno 1956. Sulla seconda massima non risultano precedenti specifici. Il concetto di Chiesa succursale — come è detto nella sentenza — non risulta definito dal Codice canonico, sebbene sia stato elaborato dalla dottrina canonistica.

[2] Per qualche riferimento cfr. Cass.: Sent. 4. 3460 dell'anno 1953.

riore e perpetua, poichè questa è stata esclusa nel pregresso giudizio di annullamento, conclusosi con la pronuncia di validità del vincolo [1].

Cass.: Sent. 9-6-1958 n. 1884. Pres. Chieppa. - Est. Tamburrino - P. M. (concl. conf.) - Comune Palermo c/ Demanio Stato.

Reintegrazione del c. d. demanio ecclesiastico

L'art. 20 della l. del 7 luglio 1866 n. 3036, sulla soppressione delle Corporazioni religiose, prevedeva la concessione ai Comuni e alle Province dei Fabbricati dei conventi soppressi.

Tale concessione, al pari di quella effettuata in esecuzione di leggi anteriori, ed alla quale si richiama il successivo art. 21, non era temporanea e limitata, ma definitiva e da essa scaturiva un diritto di proprietà in favore del Concessionario [1].

---

[1] V° sull'argomento nota di G. Lenti in questa stessa rivista 1956, I, pagg. 125 e segg.

[1] I provvedimenti soppressivi riguardarono numerose categorie di Enti Ecclesiastici reputati — secondo l'ideologia del tempo — superflui per la costituzionalità e funzionalità della Chiesa e dannosi per la privata e pubblica economia, per la sottrazione di molti beni, specie immobili, alla normale circolazione e ai tributi. Il provvedimento di soppressione nel togliere a detti Enti, tra i quali « in primis » le « Corporazioni religiose », la personalità giuridica e nel far loro divieto di poterla riacquistare per l'avvenire.

V° Leggi 25-8-48 n. 777; 29-5-1855 n. 878; 7-7-1866 n. 3036; 15-8-1867 n. 3848; 19-6-1873 n. 1402.

Conf. in ordine allo specifico problema di cui sopra Del Giudice « *Manuale di Diritto Ecclesiastico* », Milano - Giuffrè 1955.

RECENSIONES

RECENSIONES

ANDRÉ RÉTIF, *Il messaggio della Fede in Cristo*. Ed. Romane, 1958.

Si continua a sentire ovunque il bisogno di chiarificazione e in tutti i settori della vita umana.

Pio XII di f. m., al quale va il nostro ricordo profondamente devoto, fu propriamente il « Pastor Angelicus » che, particolarmente nel fulgore lucente del suo Pontificato, non trascurò ogni propizia occasione, usando ogni mezzo buono e idoneo, per « chiarire » alle genti di ogni condizione, e in ogni campo della vita di relazione, affinchè il Regno di Dio si affermasse, tra noi, regno di verità e di vita.

Tra le sue iniziative lungimiranti, segnaliamo la fondazione del « Pontificium Institutum Pastorale », presso la Pontificia Università del Laterano, in Roma.

A cura di tale Istituto superiore, la cui qualifica è sufficiente per indicarne la natura e gli scopi, è stata aperta la Collana di « Studi Pastorali », alla quale è legato il volume di André Rétif, su « Il messaggio della Fede in Cristo », che recensiamo.

Il chiaro Autore si è proposto in esso di parlare con metodo scientifico della natura e della storia del « Kerygma », facendo nel contempo alcune precisazioni sulla natura di « didachè » e di « didascalia ».

« Il Kerygma, dunque, è la proclamazione pubblica e solenne della salvezza attraverso il Cristo, proclamazione fatta a nome di Dio (se non da Dio stesso) ai non cristiani, e accompagnata da segni e da potenza, che ingenerano nelle anime ben disposte la fede, la conversione, il ritorno a Dio » (pag. 16).

Nel secondo capitolo (pp. 31-51), l'Autore si è proposto di stabilire il fondamento del « Kerygma », duplice, secondo lui, cioè: « testimonianza e missione »; ma non è propriamente — egli ritorna precisando — nè testimonianza nè missione: esso « dice dinamismo, lampeggiare, facoltà e potenza esplosiva; la testimonianza dice piuttosto fedeltà, apologia, coraggio » (p. 47) ecc.

L'Autore ritorna, nel capitolo terzo (pp. 53-78), sul motivo di prima, sul modo cioè di esprimersi del « Kerygma », riuscendo particolarmente felice nella citazione di testi scritturistici, che provano abbondantemente la metodologia Kerygmatica degli Atti e di documenti patristici.

L'« oggetto formale e preciso del « Kerygma » è Cristo Gesù, il Messia; per cui « il Kerygma si fonda — ha scritto bene l'Autore, nel capitolo quarto (pp. 79-103) — sulla testimonianza dei Libri Santi, e presenta Cristo come la perfezione della Legge antica e il Messia atteso » (p. 85).

L'Autore afferma e prova, nel capitolo quinto (pp. 105-135) che « il Kerygma fornisce alla Fede (in Cristo) il suo oggetto ed è l'occasione esterna determinante, che provoca nell'anima, posta sotto l'azione di Dio, la nascita della Fede » (p. 107).

Nell'ultimo capitolo (pp. 137-162), il Rétif mette in relazione con il « Kerygma » un fatto, che è condizione, perchè il Kerygma, accettato, produca i suoi frutti, la « metanoia », cioè « sradicamento di ciò che è male e adesione a Dio, conversione, se si vuole, ma col movimento previo dell'aversione » (p. 138).

Segue, infine, la « conclusione » del volume (pp. 163-169), che non possiamo non approvare e indicare come buona sintesi del lavoro del Chiaro Autore, originale, condotto — ripetiamo — con metodo strettamente scientifico, anche se (ci sia permesso per l'oggettività della presentazione) a p. 18 si dovrà leggere: I Cor. XV, 14, invece di I Cor. XXV, 14; e a pag. 25 avremmo preferito delle rispettive citazioni di testi della Scrittura e dei Padri alle semplici dichiarazioni.

A. Gregnanin

L'*Attività della Santa Sede nel 1958*, Roma, Tipografia Poliglotta Vaticana.

Nitidis emendatisque litterarum formis, uti fieri assolet, excusum, multisque imaginibus ope lucis impressis exornatum, hoc vicesimum prodiit volumen, quo acta et documenta recensentur ab Apostolica Sede.

Ex rerum eventibus, qui luctuosissimi acciderunt, memorantur dies infirmitatis sanctique obitus Summi Sacrorum Antistitis Pii PP. XII, qui suarum excellentium virtutum, pietatis scilicet, prudentiae, caritatis animique fortitudinis, cuiusvis gentis homines in sui admirationem traduxit (p. 53).

Ex rerum vero eventibus, qui universam hominum consortionem *inchoibili laetitia* affecerunt, iucundissimi recoluntur dies, quibus, totius Orbis plausu, ad summum Pontificatum evectus est ac tergemina tiara redimitus Ioannes XXIII feliciter regnans, qui Pastoris boni imaginem ac lineamenta exprimens, bene volentis animi afflatu, sibi iam gentes conciliavit universas (pp. 59 ss.).

Inter acta desideratissimi Summi Pontificis Pii PP. XII, praeter litteras Encyclicas *Meminisse iuvat*, diei 14 iulii 1958, quibus publicae indicuntur supplicationes per novendialia sacra ante festum B. Mariae Virginis Coelo receptae, peculiari mentione digna videtur Epistula Encyclica diei 29 iunii 1958, *Ad Apostolorum Principes*, qua continentur hortamenta et normae pro praesentibus rerum angustiis. Ad acta Romanae Curiae quod spectat, quandoquidem, ut par est, singula persequi non licet, satis erit haec quae sequuntur, summis quidem digitis, attingere.

1) Sacra Congregatio Consistorialis, praeter acta ad bina Consistoria, dierum 9 et 16 iunii 1958 spectantia, haud paucas dioeceses et provincias constituit, peculiaremque pro emigrantibus navitatem exercuit (pp. 81 ss).

2) Inter acta Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali pecu-

liari mentione digna videntur quae gesta sunt pro scholis, seminariis et ecclesiis, necnon nova editio *Magni Evangelii,* pro Russis et Rutenis (pp. 96-97).

3) A Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum, inter alia, septingentae causae dispensationis super rato decisae sunt, ac undecim millia petitionum matrimonialia impedimenta respicientium sunt expensae (pp. 98 ss.).

4) Sacra Congregatio Concilii nedum acta et decreta expendit aliquorum conciliorum, sed etiam recognovit quae referuntur ad Episcoporum coetus seu *conferentias* ex quattuordecim sane regionibus; dum opportunas normas statuit, pro parochorum moderamine et catechetica institutione, cum in scholis elementariis seu primariis, tum in scholis quae *mediae* dicuntur, tradenda. Sedulo quoque examini subiectae sunt hodiernae Sacerdotum oeconomicae condiciones, peculiaresque facultates impertitae sunt eorundem inopiae sublevandae; dum sperare licet omnibus quidem Sacrorum administris infirmitate senioque affectis, aequa *pensione,* brevi consultum iri (pp. 105 ss.).

5) Ex negotiis ad Sacram Congregationem Religiosorum spectantibus, praeter Instructionem *de iuvenum utriusque sexus promiscua institutione,* peculiari mentione dignae existimantur plures Constitutiones examinatae, pro novis religiosis Institutis erigendis; dum haud paucae congressiones et Religiosorum coetus habiti sunt (pp. 117 ss.).

6) Sacra Congregatio de propaganda Fide, inter negotia maioris momenti, erectionem recenset quattuor dioecesium, quinque Vicariatuum apostolicorum ac trium praefecturarum apostolicarum; una cum prospero quidem incremento Pontificiis Missionalibus operibus indito (pp. 124 ss.).

7) Sacrorum Rituum Congregatio, praeter ea quae ad beatificationem et canonizationem haud paucorum Servorum Dei referuntur, Instructionem edidit *De musica sacra et sacra liturgia ad mentem litterarum Encyclicarum Pii PP. XII* « Musicae sacrae disciplina » et « Mediator Dei » (pp. 143 ss.).

8) Ad Sacram Congregationem de Seminariis et Universitatibus quod attinet, praeter nova Seminaria et Studiorum Universitates erectas, editum est volumen cui index: *L'ordinamento dei Seminari da S. Pio X a Pio XII;* et epistulam diei 18 ianuarii 1958 *de necessitate Romam mittendi ecclesiasticorum studiorum causa electissimos iuvenes;* dum inter Pontificii Athaenei Lateranensis Facultates cooptatum est Institutum « Iesus Magister » pro sodalibus Congregationum Religiosarum Laicalium (pp. 156 ss.).

9) Tandem silentio praeterire non possumus Sacram Romanam Rotam, quinquagesimo feliciter redeunte anno, ex quo Constitutione, *Sapienti Consilio,* diei 29 iunii 1908, restituta est, 238 decisiones seu sententias edidisse, quarum quaedam processuali iuri provehendo magnopere prosunt (pp. 175 ss.).

Hactenus haec, candide lector. Haud dubium quin quisquis enunciatum volumen, aequo animo pervolutaverit, sibi facile persuasurus

sit ea quae a Romanae Curiae Sacris Congregationibus, Tribunalibus et Officiis expediuntur negotia, quasi intento digito, Ecclesiae universae vitalitatem demonstrare interituram numquam.

INNOCENTIUS PARISELLA

G. D'ERCOLE, *Gesù Legislatore e l'Ordinamento giuridico della sua Chiesa nei Vangeli*, Roma 1957, pp. 133, s. p.

Cuius in praesenti iudicium fit liber in collectaneorum scriptorum serie numeratur, quibus index *Communio;* quae eo spectant ut praesertim iuris canonici cultores, suis investigationibus, canonicam disciplinam ab Ecclesiae exordiis magis magisque illustrent. Idque, Auctore Nostro moderante, qui in Pontificia Lateranensi Universitate Historiae Iuris canonici est professor.

Liber duabus continetur partibus, quarum in prima Auctor tempora atque mores clare describit, qui, Jesu Christi aetate, apud Judaeos vigebant, praesertim quoad *sanctionum* genus earumque necessitudines cum peccatis et delictis (pp. 3-10).

Altera vero parte, quattuor capitibus (pp. 33-133), docte acuteque edisserit auctor de Jesu Christo Legislatore, accuratisque in Matthaei et Joannis Evangelia investigationibus, in luce ponitur, ut cetera mittamus, quid novi, quidque peculiaris Jesu Christi praecepta praeseferant, quasnam leges Ipse tulerit, quam opportuno consilio suam Ecclesiam legitimo Capite ac triplici potestate instructam constituerit. Quae Ecclesiae constitutio: « in Giovanni, ait auctor, ha una documentazione equivalente a quella di Matteo e forse più completa » (p. 53).

Mentione tamen ea digniora mihi videntur, quibus attente consideratur via et ratio legum, quas Jesus tulit; ex quibus patet Jesum Legislatorem Nationis Suae amplificandae fautorem minime exstitisse rerumque ordinem nullo non tempore respexisse, quae supra naturam sunt.

Postremo capite, quod caput sequitur de Ecclesiae constitutione eiusdemque potestatibus, auctor temporum momenta indicat, quibus Jesus varia praecepta promulgavit; clareque ostendit invidam agendi rationem praesertim Scribarum et Phariseorum. « Essi avvertono — ait — che Gesù ha uno spirito del tutto diverso dal loro sulla portata di alcuni obblighi della Legge e della tradizione. Avvertono inoltre che Gesù si attribuisce dei poteri, che la Legge non consente. Perciò alla domanda, che ci siamo fatta al principio, sulle cose che avvertirono gli avversari sull'opera di Gesù, possiamo rispondere: gli avversari percepirono che Gesù insegnava contro varie norme fondamentali della Legge; che si sostituiva persino a Dio, attribuendosi poteri circa la Torah, i quali, a loro giudizio, competevano solo a Dio » (p. 121).

Tandem varia accusationis capita contra Jesum diligenter examinantur, ut luce clarius eruatur D. N. J. Ch. poena capitis damnatum

esse illo execrando processu, « che non è nemmeno processo sommario; è un processo che non è processo » (p. 127).

Ex animo igitur gratulamur auctori de libro egregie absoluto, qui recenti quoque bibliographia ditatur nitidisque litterarum formis exornatur; ominamurque ut alia id genus opera ad memoratam librorum seriem pertinentia maturius feliciusque typis mandentur.

INNOCENTIUS PARISELLA

JOSEPH BÁNK, *Connubia canonica*, Romae, Ed. Herder, 1959, pp. XVI-600, lib. 4400.

Ad tractatus qui exponunt explanantque ius matrimoniale canonicum nuperrime accedit, dignum locum inter eos consequuturus, liber hic, cuius folia manuscripta ex Hungaria, Auctoris patria, pervenerunt.

Magister iuris canonici in Facultate Theologica Universitatis Budapestinensis usque ab anno 1943, Rev.dus Bánk scripsit, sicut affirmat, pro discipulis. Affirmatio vero sapit modestiam, nam opus ita est bene completum et indicationibus bibliographicis accuratis et copiosis munitum, ut enitere possit, instrumentum rapidae consultationis, in bibliotheca cuiusvis iuristae, sive hic incumbat theoriae studio, sive in rebus atque foro versatus sit. Ad rem satis erit animadvertere quam copiose Auctor dicat de quibusdam rebus, ut, ex. gr., de indissolubilitate nuptiarum, de conditione apposita, de vi metuque (quod argumentum tenet 64 paginas), de forma matrimonii (quod 52), et quam perspicue exponat nonnullas quaestiones, ut de finibus matrimonii secundum antiquas et recentiores doctrinas, de relatione inter Sacramentum et contractum, de privilegio Paulino.

Exposito reddita est quam maxime efficax collatione quam Auctor saepe saepius instituit inter doctrinam accipiendam et respuendam necnon astricta sed sufficienti demonstratione motivorum quae alteram alteri praeponunt.

Argumenta omnia praeceduntur notis historicis, quandoque ab ipso iure romanorum principium ducentibus, et brevi apparatu bibliographico, qui iustam habet rationem opusculorum nuper in periodicis fasciculis editorum.

Opus clauditur indice analytico accurato apteque disposito, qualis decet plerosque lectores, qui nimiis quotidianis pressi negotiis, nequeunt consultare libros nisi subsecutivis temporibus.

Ad usum et doctrinam pariter accommodatus, mediam tenens viam inter nimium et exiguum, liber Rev.di Bánk multis necessitatibus satisfacit: quapropter praevidentes prosperum exitum, vicinam ei ominamur alteram editionem, quam Auctor iam nunc animadvertit.

JOSEPH MARCONE

CHRONICA

ACTA IOANNIS PP. XXIII

SACRA CONSISTORIA:

12 Martii 1959 — *Consistorium publicum*
Consistorium secretum
Camerarius Sacri Collegii
Allocutio SS.mi Domini Nostri
Provisio Ecclesiarum
Oris aperitio et titulorum adsignatio
Postulatio palliorum. (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 177-183).

SOLLEMNIS CANONIZATIO BEATI CAROLI a SETIA et BEATAE IOACHIMAE de VEDRUNA vid. de MAS:

12 Aprilis 1959 — *Proclamatio. Homilia.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 289-294).

MOTU PROPRIO:

17 Maii 1959 — *Motu propr. « Cum inde » Pontificium Athenaeum Lateranense Universitatis titulo ac honore decoratur.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 401-403).

LITTERAE APOSTOLICAE:

20 Aprilis 1959 — *Litt. Ap. « Renovans terram » Venerabilis Dei Famula Helena Guerra, Virgo, Instituti Oblatarum Spiritus Sancti, vulgo « Sororum a S. Zita » Fundatrix, Beata renuntiatur.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 337-342).

3 Maii 1959 — *Litt. Ap. « Caritatis praeconium » Venerabilis Dei Famula Maria Margarita Dufrost de Lajemmerais vidua D'Youville, Congregationis Sororum a Caritate Fundatrix et prima Antistita Generalis, Beata renuntiatur.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, p. 348).

HOMILIA:

29 Martii 1959 — *Habita in sollemni Missa Papali, in Patriarchali Basilica Vaticana. Ecclesiae Sanctae caput est Christus; Ipse cum Ecclesia manet eam vivificans, eam iugiter adservans. Christus Dominus in Ecclesia semper patitur, sed semper et triumphat.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 245-252).

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

7 Novembris 1959 — *Pacensis in Bolivia (Coroicensis). Const. Ap. « Ex quo die » E Pacensi in Bolivia archidioecesi, quibusdam detractis territoriis, nova conditur praelatura nullius « Coroicensis » appellanda. Summo studio contendit Augustus Pontifex ut ecclesiarum finibus congrue designatis, et novis conditis circumscriptionibus, aptiores fiant condiciones rei christianae augendae. Ne acceptae iam a Pio XII b. m. preces quas Apostolicus tunc in Bolivia Nuntius obtulerat, irritae fierent, novos in illa regione statuit ecclesiasticos fines. Praelatura quae per praesens erigitur et metropolitico iuri archiepiscopi Pacensis subiicitur, sedem habebit in urbe Coroico: praelato autem dantur normae et conceduntur privilegia quibus ceteri praelati perfruuntur. Videsis in sequentibus praescriptiones de clero, de mensa etc.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 403-405).

9 Novembris 1958 — *Torontinae — Hamiltonensis (S. Catharinae in Ontario). Const. Ap. « Qui Deo volente ». Ex archidioecesi Torontina et a dioecesi Hamiltonensi quaedam territoria detrahuntur quibus nova ecclesia efficitur S. Catherinae in Ontario appellanda. Immutationes de quibus agitur procedunt ex sollicita, qua movetur Summus Pontifex, cura ut aequior in dies fiat populo christiano condicio suae religionis augendae. Novae dioecesis Episcopus in urbe S. Catharinae domicilium et cathedram statuet: suffraganeus erit Metropolitano Archiepiscopo Torontino.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 252-254).

13 Novembris 1958 — *Portus Moresby (Mensiensis) Const. Ap. « Eius successores ». E vicariatu Apostolico Portus Moresby in Nova Guinea quaedam territoria distrahuntur quibus nova efficitur praefectura apostolica, Mensiensis appellanda. Petitio Apostolicae Sedi oblata, cum ad christianum nomen proferendum valde sit collatura, benigne admissa est. Porro, Romanus Pontifex haec in animo habet, ut pretiosa fidei margarita in omnium gentium communem veniat possessionem. Haec Praelatura Patribus ex Ordine Minorum Capulatorum concreditur. Res exequenda mandatur Apostolico Nuntio in Australia, Nova Zellandia, atque Oceania.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 254-256).

22 Novembris 1958 — *Durangensis — Sinaloensis (Mazatlanensis) Const. Ap. « Qui hominum » Ab archidioecesi Durangensi atque a dioecesi Sinaloensi quibusdam detractis territoriis, nova constituitur dioecesis « Mazatlanensis » appellanda. Spes optima datur fidelium necessitatibus aptius consuli posse si partitis amplioribus dioecesibus, novae crcumscrptiones erigantur. Haec eadem ratio movit Apostolicum in Mexicana republica Delegatum preces Sanctae Sedi offerentem quae benigne fuerunt exceptae. Describuntur*

fines novae dioecesis Mazatlanensis vocandae ab urbe principe. (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 406-408).

22 Novembris 1958 — *Durangensis (Chihuahuensis) Const. Ap. « Supremi muneris ». E Duragensi provincia ecclesiastica quibusdam detractis dioecesibus, nova efficitur provincia ecclesiastica « Chihuahuensis » appellanda. Quae heic statuuntur, opportuna visa sunt Apostolico in Mexicana republica Delegato excupienti rem christianam magis magisque progredi. Eidem Apostolico Delegato praecipitur ut statuta exequatur.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 408-410).

11 Decembris 1958 — *Liberopolitanae (Muilaensis) Const. Ap. « Cum sit omnis » A Liberopolitana archidioecesi quaedam territoria distrahuntur, quibus nova quaedam dioecesis conditur, « Muilaensis » nomine. Aliam dioecesim in hac regione Summus Pontifex constituendam censuit iuxta consilia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Novae dioecesis caput erit urbs « Muila » in qua cathedra episcopalis iurisdictionis sedem habebit: eiusdem dioecesis, quae suffraganea declaratur metropolitanae ecclesiae Liberopolitanae, moderamen sodalibus e Congregatione Spiritus Sancti, sicut hactenus fuit, committitur. Eadem quae solent praecipiuntur de mensa, de seminario ecc.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 410-412).

LITTERAE APOSTOLICAE:

28 Novembris 1958 — *Litt. Ap. « Inclitam Dei Genitricem » Beata Maria V. a Sacr.mo Rosario « De Arma » praecipua coelestis Patrona dioecesis Sonsonensis in Columbia constituitur. Sub hoc titulo devotissime B. Virgo in loco « Rionegro » ad dioecesim Sonsonensem in Columbia pertinente a christiano populo colitur: ibi enim Deiparae est imago quam crebro invisunt fideles, opem et solacium impetraturi. Recte igitur Episcopus preces Apostolicae Sedi admovit ut Eiusdem Virginis patrocinio universa dioecesis obtegeretur.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 256-257).

10 Decembris 1958 — *Litt. Ap. « Fortiter suaviter » Basilicae Minoris honoribus ac privilegiis afficitur ecclesia Beatae Mariae Virginis Nemorensis seu v. « Madonna del Bosco » in oppido « Imbersago » Mediolanensis archidioecesis. Propensam voluntatem erga sanctuarium quo, puer adhuc, iter frequens Summus Pontifex facere consueverat, quo item dum Patriarcham Venetiarum ageret rediit, ut durateum Deiparae simulacrum aurea corona decoraret, libenti animo profitetur.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 413-414).

13 Decembris 1958 — *Litt. Ap. « Bergomensem inter ». Basilicae Minoris titulo ac dignitate decoratur ecclesia paroecialis in honorem Sanctorum Bartholomaei et Hieronymi Aemiliani Conf. Somaschae, intra fines Bergomensis dioecesis extans. E veneta domo profectus, in Bergomensem dioecesim venit Hieronymus stetitque in pago Somaschae ubi multa egregie patravit, sancteque obiit. Cuius corpus in ecclesia paroeciali adservatur quam Summus Pontifex praesentibus honoribus decorat.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 414-415).

16 Ianuarii 1959 — *Litt. Ap. « Urbis Fori Livii » Templum Sancti Mercurialis in urbe Foro Livii extans titulo ac dignitate Basilicae Minoris ditatur. Tum antiquitate, tum cultus religionis, tum artis operibus praestat hoc templum plurimos ante annos exstructum et postea restitutum, cui sacra turris adiecta conspicitur. In eadem pietatis sede est sepulcrum S. Mercurialis primi urbis episcopi. Preces foroliviensis praesulis ex consulto Sacrae Rituum Congregationis, Romanus Pontifex accipit.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 257-258).

22 Februarii 1959 — *Litt. Ap. « Boni Pastoris » Pontificium Consilium rei cinematographicae, radophonicae et televisificae praepositum novis legibus constituitur. Quod Pius PP. XII b. m. iam pridem instauravit Consilium, cuius erat iussa et praescriptiones exequi in Litt. Enc. « Miranda prorsus » edicta, id Ioannes PP. XXIII confirmat, mandatque ut varias de re cinematographica, radiophonica et televisifica quaestiones examinet suo foveat adiumento, et dirigat. Peculiaria Consilii munera significantur et decernitur qui viri sint cooptandi.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 183-187).

28 Februarii 1959 — *Litt. Ap. « Agnes sepulcrum ». Ecclesia S. Agnetis extra moenia Urbis ad honorem Tituli Stationalis evehitur. Sacram aedem extruxit Constantinus saeculorum decursu saepe ornatam et expolitam, a Pio IX vero egregio artificio decoratam. Hanc Romani cives frequenter invisunt Agnetem ac Emerentianam, prope conditam tempore praesertim quadragesimali adprecaturi. Quibus omnibus rite consideratis, opportunum visum est relatos honores ecclesiae tribuere.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 415-416.

EPISTULAE:

24 Februarii 1959 — *Ep. « Florentinorum civitas » — Ad E.mum P. D. Eliam tit. S. Marci S. R. E. Presb. Card. Dalla Costa, Archiepiscopum Florentinum, quinto exeunte saeculo a S. Antonini obitu. Florentinorum civitati, Sanctum Antoninum Dominicani coenobii*

Sancti Marci et archidioecesis universae decus, solemni festo decoraturae, adhortationem movet, inclyta exempla imitanda proponit, Pastoris incoepta recolit, virtutes extollit, scripta volumina laudat. (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 187-189).

25 Februarii 1959 — *Ep. « Octogesimum natalem » Ad Exc.mum P. D. Ludovicum Schvoy, Episcopum Albae Regalensis, octogesimum natalem agentem. Gratulationes facit sedulo Pastori qui adsiduos labores navasque diligentias ad concreditae plebis emolumentum comparandum decusque tutandum, pluribus ab annis impendit.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 190).

29 Martii 1959 — *Ep. Ad E.mum P. D. Ioannem tit. Sanctae Priscae S. R. E. Presbyterum Cardinalem Urbani, Venetiarum Patriarcham, qui Legatus deligitur ad Sollemnia in honorem S. Pii Papae X celebranda, sacris Eius exuviis ad eam urbem delatis. Cum in eo sint ut huiusmodi sollemnia celebrentur, Augustus Pontifex Qui iterata vice, in Marci ac in Petri cathedra S. Pio X successit, adesse et quodammodo praeesse cupit per Legatum.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 348-349).

1 Aprilis 1959 — *Ep. « La consacrazione » — Ad Rev.mum D. Renatum Ziggiotti, Moderatorem Generalem Societatis S. Francisci Salesii, cum novum in Urbe templum extructum ac Deo in honorem S. Ioannis Bosco dicatum mox esset consecrandum. Duobus ex capitibus Romano Pontifici praebetur solacii causa: in honorem S. Ioannis Bosco templum novum Romae consecratur et Qui Apostolicae sedi fuit addictissimus ac Pontificibus Summis acceptissimus, Urbem repetit, centum elapsis a primo adventu annis, ingenti veneratione ubicumque exoriente. Maxima quidem incrementa, hisce labentibus annis, Sancti Ioannis Bosco opera susceperunt et instituta: prope ipsum novum templum oratoria ac scholae extant in adolescentium ac iuvenum commodum Omina profert Summus Pontifex et fructus non defuturos confidit.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 294-296).

4 Aprilis 1959 — *Ep. « Cum natalicia » Ad Rev.mos PP. Augustinum Sépinski, Ordinis Fratrum Minorum Ministrum Generalem; Victorium Costantini, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Ministrum Generalem; Clementem a Milwauken, Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum Ministrum Generalem et Ioannem Boccella, Tertii Ordinis Regularis S. Francisci Ministrum Generalem: septingesimo et quinquagesmo volvente anno, ex quo Innocentus PP. III regulam, franciscalis disciplinae moderatricem, ratam habuit et sanxit. Insigne factum quod in praesens recolitur, feracitatem attulit cumulatorum bonorum: tum enim in iis quae ad mores pertinent, tum in iis quae ad civilem convictum spectant sive apud*

christicolas sive apud populos evangelica luce destitutos, late diffusus est seraphicus Sancti Francisci ardor. Filios humilis et pauper Pater exemplis ac sermone paupertate destrictos voluit, iuxta Dominica illa « Beati pauperes spiritu ». Quotquot Francisco adhaerent enixe adhortatur ut digne ambulent vocatione qua sunt vocati, regulam ac statuta iugiter servent, ipsa varietate quae in franciscalibus institutis perseverat ad meliora carismata aemulanda excitante. (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 296-298).

11 Maii 1959 — *Ep. « Si ingratae mentis » Ad E.mum P. D. Antonium tit. S. Laurentii in Panisperna S. R. E. Card. Caggiano, Rosariensem Episcopum, et ad ceteros Argentinae Sacrorum Antistites, saeculo exeunte ab initis inter Petri sedem et Argentinam gentem publicae amicitiae rationibus: quinto simul ac vigesimo vertente anno ab archidioecesibus compluribus in ea natione constitutis. Publicas gratiarum actiones effundere decet ubi, anniversariae memoriae ratione poscente, maioris momenti beneficia recoluntur. Porro praeteriri nequeunt, in casu, paroeciae constitutae, templa a solo excitata, religiosorum ac religiosarum crebriores familiae, Actionis Catholicae instauratae consociationes. Alia tamen facienda supersunt, quae ut in rem deducantur, bona adhibita conscientia et concordi voluntate, adhortatur Summus Pontifex.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 417-419).

ALLOCUTIONES:

10 Februarii 1959 — *Alloc. Ad Concionatores sacri temporis Quadragesimalis in Urbe. Sacri verbi precones tribus praesertim instruantur oportet ut efficax efficiatur eorum ministerium: sapientia etiam in seligendis quaestionibus pertractandis; simplicitate, qua nihil potius ad corda movenda; caritate, demum, in argumentandi rationibus, in veritate ab erroribus vindicanda, in ipsorum verborum prolatione.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 190-195).

1 Martii 1959 — *All. Mulieribus quae interfuerunt Conventui IX Nationali e Coetu « Centro Italiano Femminile » (CIF) Romae habito Plura huius foederationis incoepta dignis laudibus sunt decoranda. Suavi commotione afficitur Summus Pontifex cum suos, familiares nempe, memoria recolit: eademque profecto commoventur causa quotquot hodiernum Conventum celebrant. Quibus, dum tot errores familiare institutum impetunt, commendat ut sancti connubii leges contutandas curent.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 195-197).

12 Martii 1959 — *All. Sacerdotibus ex Apostolica Cleri Unione, centesimo volvente anno ab obitu S. Ioannis B. Vianney e tota Italia*

Romae coadunatis. Concordes sacerdotum voluntates magnam laetitiam afferunt Summo Pontifici Qui aptam nactus occasionem. haec clero commendat: sacerdos vir Dei, vitam gerat Christi odore fragrantem: ut vero fidelis permanere possit vocationi qua vocatus est, Libro ac Calice alatur et corroboretur oportet, sacra doctrina nempe et Eucharistico sacrificio. (*A.A.S.*, - 11 aprilis 1959, vol. 51; pp. 198-202).

18 Martii 1959 — *All. Iis qui interfuerunt Internationali « Symposio » de singulorum civium in morbos cautione seu « prophylassi », Romae habito. Quod enixe adlaboremus ut meliores efficiantur hominum condiciones eorumque dignitas indemnis adservetur, id optimum censendum. Praesentes filios Pontifex adhortatur ut quidquid suscipere contingat, duce caritae ineant ac perficere contendant.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 202-204).

1 Aprilis 1959 — *Alloc. Iis qui interfuerunt Conventui II « des Ecrivains et Artistes Noirs » Romam indicto a « Societate Africaine de Culture ». Haud parvi Ecclesia habet huius Societatis proposita, cuius est afrae culturae proferre divitias, historiam exquirere, miras consensiones renuntiare* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 259-260).

1 Aprilis 1959 — *Alloc. Moderatoribus ac Delegatis e Catholicarum Studiorum Universitatum Foederatione, qui Beatissimo Patri obsequii exhibendi causa Romam convenerant. Adstantium suscepta, quibus Deus adspirat, gratulatus, adhortatur ut virium ac voluntatum consensio in omnibus servetur et in cultura unitas requiratur quae summae Veritatis parit cognitionem. Hac ratione validum agger extrui continget contra nefarium materialismum... Multi hac nostra aetate credunt se vivere posse Dei lege neglecta, quo errore nihil profecto nefastius.* (*A A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 299-301).

7 Aprilis 1959 — *Alloc. Ad eos qui Romae primum Ciceronianum Conventum ex omnibus nationibus egerunt. Laudat Pontifex studia in quibus praeclari isti Viri intendunt ut latini eloquii auctoris maximi opera penitius investigent et dolet multos esse qui latinitatis studia repellere vel coercere sibi sumant... De cetero Cicero, praeter alia, Conditorem et Moderatorem omnium rerum Deum agnovit. Augustinum, tandem recolit legentem « Hortensius » Ciceronis.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 301-302).

11 Aprilis 1959 — *Alloc. Delegatis Foederationis ex omnibus Nationibus qui tempore belli militiae vacarunt, VIII Conventum celebraturis. Sermonem instaurat de pace quam nequeunt homines, etsi in terrena auctoritate constituti, orbi donare nisi in mortalium*

animis eam insidere studeant. Hoc Ecclesiae Sanctae munus quae omni contentione curat ut vera pax in familiis, in socialibus coetibus, in populis universis possit insimul regnare. Materialibus sane destituitur Ecclesia armis, non spiritualibus iisdemque potentissimis. (*A.A.S.*, - 16 Mai 1959, vol. 51, pp. 303-304).

13 Aprilis 1959 — *All. Iis qui ad sollemnem Canonizationem Beati Caroli a Setia et Beatae Ioachimae de Vedruna de Mas Romam convenerunt. Praeclara virtutum exempla in istis sanctis praefugentia recolit Summus Pontifex et praesertim opera misericordiae ab utroque adamussim adimpleta. Occasionem insimul sumit loquendi de vita Deo sacrata per votorum religiosorum professionem.* (A.A.S., - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 304-307).

16 Aprilis 1959 — *All. Habita in Patriarchali Archibasilica Lateranensi, ubi aderant Religiosi Sodales ex universo coetu Seraphicae Familiae, septingentesimo ac quinquagesimo vertente anno, ex quo franciscalis disciplinae Regulam Apostolica Sedes ratam habuit. Paterna prosequitur laude universos Franciscanae Regulae sodales qui, etsi varia est monasticae vitae ratio, apostolatus formae et ipse vestiendi mos, praecipua capita a Seraphico Patre condita per saecula servaverunt. Extollit paupertatis virtutem, ad obedientiam excitat. Deo cum adstantibus gratias agit et suavi commotione affectus, commemorat Semetipsum, puerum quatuordecim annos natum, anno 1896 tertio Ordini Sancti Francisci fuisse adscriptum.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 307-311).

26 Aprilis 1959 — *Alloc. Iis qui Romae interfuerunt Conventui « mulieribus » v. « zelatrici delle Pontificie opere Missionarie in Italia » indicto. Quid in missionaria cooperatione requiratur exponit, negatque ad rem sufficere collatum pecuniae subsidium. Agitur nempe de re supernaturali in qua materiales opes, etsi necessariae, non sunt potiores. Requiruntur vero animarum zelus, preces pro aeterna hominum salute, et, caritate movente, patientia in adversis. Nec tantum in externis regionibus missionarium opus haberi oportet cum in nostris quoque locis fides sit ferventer defendenda.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 349-452).

27 Aprilis 1959 — *All. Christifidelibus Lucensibus qui Romam venerunt ut Beatificationi Venerabilis Dei Famulae Helenae Guerra interessent. Ut ardenter ac devote excoleretur ac adoraretur Spiritus Sanctus iugiter institit famula Dei: nec aliter est agendum nostris hisce temporibus. Namque variis pressi adversis nec magna nec fortia homines solent adpetere. Dat vero Spiritus Sanctus christifidelibus robur ut bonum certamen certent et obviantes difficultates superent.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 551, pp. 352-354).

1 Maii 1959 — *Alloc. In Basilica Vaticana, ad Italorum Operariorum coetum e Societatibus quae vulgo « Associazioni Cristiane dei Lavoratori Italiani » (A.C.L.I.) appellantur. Humani laboris dignitatem asserit et Ecclesiae doctrinam in re illustrat, operarios adhortando ut falsis placitis nulla ratione allecti, sicut de praeterito gratias agunt, ita de futuro sint solliciti, in Deo fiduciam reponentes, quia nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant qui aedificant eam.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 355-359).

4 Maii 1959 — *Alloc. Iis qui interfuerunt Conventui III Nationali de catholicorum scriptis, cotidie vel in dies certos vulgatis. Proprium huius apostolatus finem adstantes habeant prae oculis iugiter aptisque utantur rationibus quibus proposita possint perfici. Arma, nempe, sumant veritatis (anima enim desiderat veritatem); arma caritatis, non ergo iniquitatis et nequitiae. Dolet plurima edi quae fidei ac moribus non solum minitantur sed etiam detrimentum solent afferre.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 359-362).

4 Maii 1959 — *Alloc. Christifidelibus e Canadensi regione qui peregrinationem susceperunt ut Romae Sacris Sollemnibus interessent, quibus Ven. Dei Famula Maria Margarita Dufrost de Lajemmerais, vid. d'Youville, Beata est renuntiata. Inter exempla virtutum, quas Beata exercuit, caritatem peculiari modo commendat Pontifex, qua movente mira sunt peracta, idque praesertim in egentium adsistentia morali ac materiali.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 363-364).

6 Maii 1959 — *Alloc. Ad Exc.mum Virum Ioannem Gronchi, Reipublicae Italicae Praesidem. Paterna dilectione Pontifex Augustus prosequitur Italos omnes spiritualibus bonis instructos. De futuro potior profecto est sperandi quam timendi ratio, etsi hic vel illic falsa quaedam proferantur placita. Advigilandum ideo concordi mente et firma voluntate agendum ut quae sunt sancta, quae sacra, quae sunt bona, salva consistant.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 364-366).

11 Maii 1959 — *Alloc. Ad christifideles in foro Sacri Petri coadunatos quo urnae sollemniter delatae sunt, in quibus S. Pii PP. X et S. Ioannis Bosco sacrae conservantur exuviae. Omnes christianos S. Pius admonet ut per rectam iugiter ambulent viam, recogitentque temporalia bona sic esse comparanda ut ducant ad aeterna. S. Ioannes Bosco qui maximam gessit succrescentis sobolis curam, adhuc vivens, loquitur victorias.* (*A.A.S.*, - 19 maii 1959, vol. 57, pp. 367-372).

14 Maii 1959 — *Alloc. Ad Exc.mum Virum Suckarno, Reipublicae Indonesiae Praesidem. Omni nisu sategerunt huius populi moderatores ut prospera universae dicioni compararent in civili hominum consortio: hac quoque in re catholici omnes libenter adlaboraverunt.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, p. 372).

17 Maii 1959 — *All. Ad E.mos Patres, Exc.mos Praesules et christifideles qui die Dominica Pentecostes in Basilica Vaticana interfuerunt Vesperis a Beatissimo Patre celebratis. Saeculorum labente serie, nunc adversa sustinuit, nunc laeta pertulit Catholica Ecclesia. Nostris autem hisce temporibus nequeunt, inter laeta, praeteriri oecumenicum celebrandum Concilium et constituta iam praeparatoria commissio; in adversis vero recensendae acerbae conditiones in quibus apud nonnullas diciones versari compelluntur christifideles.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, Vol. 51, pp. 419-422).

18 Maii 1959 — *Alloc. Ad Excellentissimos Viros Marinum Benedictum Belluzzi et Augustinum Biordi, Supremos Marinensis Reipublicae Moderatores. Laudat Pontifex religiosa ac civilia instituta quae iugiter fovet Marinensis Respublica; eodem testimonio prosequitur seduli in laboribus populi constantiam, humanam liberalitatem erga alienigenas, eos praesertim qui, bello saeviente, domum deserere coacti sunt.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 423-424).

22 Maii 1959 — *Ad Serenissimos Princeps Paulum et Fridericum Augustos Graecorum Regem ac Reginam. Graecos, litterarum et artium cultum foventes, celebrat; Pontifices et Ecclesiae Patres ibi ortos recolit, et novum Testamentum magna ex parte lingua graeca conscriptum commemorat. Hisce et aliis de causis dignae sunt laudes, et observantiae sensus.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 424-426).

26 Maii 1959 — *Alloc. Ad Canonicos Regulares S. Augustini, e quatuor Congregationibus quibus Ordo constat, feliciter mox inita foederatione. Extollit Eugenium IV et S. Laurentium Iustiniani, utrumque Ordinis sodales quibus Pontifex in successionis locum subiit, illi quidem in Romana, isti vero in Venetiarum sede. Adhortatur ut S. Augustini regulas summo studio servent, Diligite, addit Pontifex, veritatem, tenete unitatem, caritatem fovete.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 426-427).

11 Iunii 1959 — *Alloc. Ad Exc.mum Virum Celar Bayar, Turcarum Reipublicae, Praesidem. Qui per decem annos apud Turcas vixit, Ipse Pontifex allata populo emolumenta testatur, quibus consideratis, omnia fausta ex corde promere licet.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 427-429).

NUNTII RADIOPHONICI:

16 Februarii 1959 — *Christifidelibus Japoniae, cum primum statio radiophonica Urbis Vaticanae aetherias undas, certis diebus eliciendas, japonico sermone emittere coepit. « Vos testes Jesu Christi, spei omnium finium terrae in dissitis istis insulis conferte sedulissimas curas ut vestra christiana fides ex sermonis benigni sapientia et ex operum absoluta probitate splendidior usque eniteat ».* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 204-205).

28 Martii 1959 — *Universis christifidelibus sollemnia paschalia celebraturis. Christi Ecclesia, quam adversarii, in sepulcrum deponere, quasi mortuam vel morituram, saepe inaniterque contenderunt, cum Conditore Suo gloriose resurgit, pacem egenis, humilibus, tenuioribus universis afferens.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 242-245).

19 Aprilis 1959 — *Ad Belgas, decimo revoluto anno ex quo radiophonicas communicationes de sacris expeditionibus, vulgo « Heure missionaire » in ea natione initium habuerunt. Fructus per has radiophonicas communicationes iam collectos grato animo recenset Summus Pontifex; omnes qui in hoc operam navant paterne salutat, et dilectos e Belgica Natione filios in missionum locis pro animarum salute laborantes ex corde gratulatur.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 313-314).

27 Aprilis 1959 — *Quo locorum Ordinarii et universi orbis christifideles adhortantur ad impensas supplicationes habendas, per Maium mensem, ob oecumenicum cogendum Concilium. « Affirmate profitemur (sic Summus Pontifex) spem plurimam Nos sitam habere in obsecrationibus quae a fidelibus, amore inflammatis Deiparae, fiant. Cum vero per mensem maium... peculiares precationes ritusque frequententur religiosi, consilium inivimus universum populum christianum commonendi ut... felicem exitum causae a Dei Genitrice studeant impetrare ».* (*A.A.S.*, 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 314-316).

10 Maii 1959 — *Christifidelibus Venetis, ad terminanda sollemnia in honorem S. Pii Papae X, per mensem Venetiis peracta. Gratias agit Summus Pontifex ob sollemnia Sancto Pio X devote et universim tributa, pietatis ac caritatis praeclarum testimonium.* (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 373-375).

17 Maii 1959 — *Ad christifideles Lusitaniae, monumentum Iesu Christo Regi, prope Ulissiponem statutum, dedicantes. Instauratum monumentum testatur qua devota observantia universus lusitanus populus Christo Domino devinciatur, adimpletumque denuntiat votum, dum gravia ingruerent pericula, emissum.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, p. 431).

17 Maii 1959 — *In die festo Pentecostes, ad radiophonicam terminandam propagationem septem stropharum hymni « Veni Creator » quae in septem templis maximis, per Europae fines, decantatae et a Praesulibus explicatae sunt. « Per christianae Europae fines in septem sacris aedibus principibus hymni « Veni Creator Spiritus » strophae, alia post aliam pio modulamine decantatae sunt. Religionis perfunditur laetitia: hoc est canticum novum, canticum caritatis, canticum adeptae victoriae ».* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, p. 430).

NUNTII SCRIPTO DATI:

10 Februarii 1959 — *Iis qui interfuerunt Congressui primo nationali hispanico de familia. Christiani sacramenti matrimonii asserta dignitate, ut officia quae exinde procedunt adamussim adimpleantur, paterne commendat.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 205-206).

15 Februarii 1959 — *Christifidelibus e mediae Americae nationibus primum Eucharisticum Congressum in urbe Guatimalensi celebrantibus. Christus Dominus sub Eucharisticis speciebus latens, vitae cursum illuminat, corda inflammat amore sui, et christianarum virtutum vinculis firmat hominum consortium.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 206-208).

11 Aprilis 1959 — *Ad E.mum P. D. Ioannem S. R. E. Card. Urbani Venetiarum Patriarcham, cum ex Urbe corpus S. Pii Papae X Venetias est delatum, civibus sollemnia in eiusdem Sancti Pontificis honorem celebrantibus. Quod Pius XII. b. m. obtantibus adiunctis, nequit, etsi cupiebat, antiquo Patriarchae perficere licet et Sancti Pii Papae X corpus defertur in Urbem Lagunae reginam fidentibus Sancti verbis tandem adimpletis. Censet ac sperat Romanus Pontifex nonnihil arcani, nonnihil laeti processurum ex hoc itinere per varias Italicas provincias devote confecto. Desiderabat quidem Summus Ipse Pontifex resurrectionem mortuorum in Basilica Sancti Marci requiescens expectare, sed alia disposuit mirabilis Divina Providentia.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 316-318).

ADHORTATIO:

21 Aprilis 1959 — *Ad clerum qui e tota Venetorum regione Venetias convenerat, in Basilica Sancti Marci sacras exuvias Sancti Pii Papae X veneraturus. Celsam sacerdotum dignitatem recolit, quam omnes de clero maximi habere, tueri et custodire tenentur. Ab omnibus quae dedescent, igitur, abstinere debent. Catholica ecclesia, etsi Deus nobiscum est, fortes et impigros defensores extruit,*

In omnibus autem sacerdos gravis et prudens esto, patiens, populi necessitatibus occurrens. (*A.A.S.*, - 19 Maii 1959, vol. 51, pp. 375-381).

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

21 Iunii 1958 — *Caracensis et aliarum* (*Civitatis Bolivarensis*) — *Const. Ap.* « *Magna quidem* » *Dioeceses Civitatis Bolivarensis, Barcinonensis in Venezuela, Cumanensis et Maturinensis a metropolitico iure Ecclesiae Caracensis eximuntur, atque ex iis nova constituitur ecclesiastica provincia* « *Civitatis Bolivarensis* » *appellanda, cuius caput erit cathedralis ecclesia Civitatis Bolivarensis, quae proinde ad gradum metropolitanae ecclesiae perducitur. Probat Romanus Pontifex preces ab Exc.mo Apostolico Nuntio in Venetiolana republica oblatas, et in spem ductus melius aptiusque fidelium necessitatibus consuli posse, novam ecclesiasticam circumscriptionem erigit.* (*A.A.S.*, - 21 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 211-213).

21 Iunii 1958 — *Caracensis* (*Maracayensis*) — *Const. Ap.* « *Qui Supremi* ». *Ab archidioecesi Caracensi et a dioecesi Calabocensi quaedam territorii pars distrahitur quae in novae dioecesis formam redigitur* « *Maracayensis* » *appellandae. Christi Ecclesia Sancta in illa regione floret, caritatem exercet, fructus edit sanctitatis. Opportunum ergo visum est Ecclesiam, quae latius patet pressius circumscribi et novam constitui dioecesim, ab urbe principe Maracayensis appellandam, metropolitanae Caracensi suffraganeam. Quae sunt de more postea praecipiuntur circa minus saltem seminarium condendum, circa adscriptionem clericorum, circa mensam, etc.* (*A.A.S.*, - 21 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 209-211).

23 Iunii 1958 — *Lydenburgensis et aliarum* (*Volksrustenensis*) — *Const. Ap.* « *In similitudinem* » *Detractis quibusdam territoriis a dioecesibus Lydenburgensi et Bremersdorpensi et ab archidioecesi Durbaniana, nova praefectura apostolica constituitur* « *Volksrustenensis* » *appellanda. Fines suos semper profert Catholica Ecclesia, et populos in salutem vocat. Ita evenit in Africa meridionali, tamque feliciter res cessit ut opportunum videretur novam ibidem praefecturam apostolicam condi... Quae sodalibus Ordinis Fratrum Minorum committitur, naviter moderanda.* (*A.A.S.*, - 21 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 214-215).

13 Iunii 1958 — *Overriensis* (*Umuahianae*). *Const. Ap.* « *Sollicite usque* ». *Ex dioecesi Overriensi in Nigeria quaedam territoria distrahuntur quibus nova efficitur dioecesis* « *Umahiana* » *appellanda.*

Divinitus commissum est Romano Pontifici munus perducendi ad evangelicam lucem quotquot in tenebris ambulant: curat ideo ut ipsis aptiora praebeantur subsidia quibus ad verum Deum cognoscendum possint pervenire. Qua de re, sententiam S. Congregationis de Propaganda Fide probans, novam hanc dioecesim erigit, quae suffraganea erit metropolitanae Onitshaensi et sacerdotibus e clero indigena administranda demandabitur. De seminario, de canonicorum collegio, de mensa statuuntur de more normae. (*A.A.S.*, - 21 Aprilic 1959, vol. 51, pp. 216-217).

23 Iunii 1958 — *Tarahuniarensis. Const. Ap. « Si qua inter gentes » Missio sui iuris Tarahuniarensis, in Mexicana republica, ad gradum et dignitatem Vicariatus Apostolici evehitur. Sententiam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Augustus Pontifex probans, concedit ut ad maioris gradum extollantur ecclesiae, inter Gentes extantes, si quamquam paribus auxiliis destitutae, res catholica ubera in eis iam coepit fructus, et maiores iubet ominari. Vicariatus sic constitutus administrandus committitur Patribus Societatis Jesu.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 261-262).

30 Iunii 1958 — *Rivi Nigri. Const. Ap. « Quandoquidem ». In metropolitano templo Rivi Nigri Conlegium canonicorum constituitur. Huius Capituli erectio, postulata ab Episcopo, senatum virorum sapientium sibi adesse cupiente, a Romano Pontifice, audita Sacra Congregatione Consistoriali, decernitur; quibus dignitatibus, quibus canonicatibus debeat constare, quibus fruatur insignibus, postea edicitur.* (*A.A.S.*, - 25 aprilis 1959, vol. 51, pp. 263-264).

11 Iulii 1958 — *Bellohorinzontinae, Aterradensis (Divinopolitanae) — Const. Ap. « Qui a Christo Jesu » Quibusdam detractis territoriis ex Bellohorizontina archidioecesi et Aterradensi dioecesi, nova fundatur dioecesi « Divinopolitana » appellanda. Quod Apostolicus Nuntius in Brasiliae civitatibus foederatis expostulat, concedit Augustus Pontifex. Qui magna sane afficitur laetitia ob frequentiorum fidelium copiam. Datur nomen ex urbe Divinopolis in qua Praesul sedebit; dantur norme de mensa, de seminario, de clericorum adscriptione.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 263-264).

12 Iulii 1958 — *Suluensis (Ioloensis) — Const. Ap. « Ecclesia Sancta » Apostolica Praefectura Suluensis in Insulis Philippinis, ad gradum et dignitatem Vicariatus Apostolici evehitur, Ioloensis appellandi. Sacra cum hominibus certamina veritatis iniens, Ecclesia Catholica suos fines iugiter profert, christifideles superna sapientia imbuit, et ad salutem sollicite vocat. Haec prae oculis habens, et condiciones Apostolicae Praefecturae Suluensis animadvertens, Summus Pontifex evectionem decrevit.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 319-320).

30 Iulii 1958 — *Puniensis (Avaviriensis) — A dioecesi Puniensi territorii pars seiungitur ex qua nova constituitur Praelatura Nullius Avaviriensis appellanda, Metropolitanae ecclesiae Arequipensi submittenda. Novae circumscriptiones ecclesiasticae ibi statuuntur ubi od latiorem territorii amplitudine difficile evadit pastoralis ministerii exercitium. Hac ratione motus Apostolicus in republica Peruviana Nuntius preces dedit et Romanus Pontifex admisit.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 320-323).

LITTERAE APOSTOLICAE:

16 Maii 1958 — *Litt. Ap. « Praecipua laude ». Templum paroeciale Apparitionis Beatae Maria Virginis vulgo « Nossa Señhora de Lourdes », archidioecesis Bellohorizontinae Basilicis Minoribus accensetur. Hoc ad templum, gothica architectandi ratione insigne, frequens accedit populus christianus ut divinis epulis pascatur et Beatam Virginem excolat, cui dedicatum est sacellum, Lapurdensi specu in imitatione expresso, celebratum.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 218-219).

24 Maii 1958 — *Litt. Ap. « Vere Gentium Apostolus ». Sanctus Paulus Apostolus in praecipuum coelestem Patronum pro urbe et civitate Sancti Pauli in Brasilia eligitur. Praeclarum nomen urbs a Christi Apostolo traxit qui sicut iam ethnicas, ita nunc missionales gentes ad christianae fidei professionem inducit. Exoratus Paulus integrae regionis adstitit incremento: eius adiutorio etiam in praesens urbs floret.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 219-220).

6 Iunii 1958 — *Litt. Sp. « Regi saeculorum ». Templum paroeciale Sacratissimo Cordi Iesu dicatum in urbe « Roseto », Grossetanae dioecesis, Basilicae Minoris titulo ac privilegiis cohonestatur. Sicuti palustria loca quae olim ad hanc urbem patebant in pinguia arva hac nostra aetate conversa sunt, ita templum Sacratissimo Cordi Jesu dicatum, hodierni Episcopi studio fuit excitatum ut fructus quoque spirituales copiosi in populum spargerentur. Porro, Vincentianis sodalibus commissum, amplitudine ac romanico structurae genere insigne, templum crypta instruitur memoriae civium interemptorum sacra; additur octangula turris cuius in apice signum Servatoris locatum est.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 268-269).

7 Iunii 1958 — *Litt. Ap. « Haud pauca » Titulo Basilicae Minoris insignitur Ecclesia abbatialis ac paroecialis « Beatae Mariae Virginis ad Scotos » in urbe Vindobona in Austria. Fausto labente octavo centenario a prima ecclesia ibi extructa, Templo in praesens extanti insignia Basilicae Minoris tribuuntur sive quis amplitudine ac decore praestat, sive quis amplitudine ac decore excellit,*

sive quia vetussimum Virginis simulacrum in eo adservatur quod devote ac frequenter colitur, sive quia catholica academia, in proximo asceterio Monachorum Sancti Benedicti, instaurata fuit a b. m. Card. Innitzer. (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 269-270).

16 Iulii 1958 — *Litt. Ap. « Sancti Pii Papae X ». Sanctus Pius X, P. M. Confessor in praecipuum coelestem Patronum pro universa dioecesi Campifontis — Capitis Girardeanensis renuntiatur. Quo magis recenti in hac dioecesi virtutes Sancti pro viribus exerceantur, eiusdem patrocinium postulat Episcopus. Pius enim humilitatis ac tenuioris vitae cultus celsa dedit exempla; pietate flagravit erga Virginem Mariam ad rudium catechizazionem movet, Actionis Catholicae fovet incrementum.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 221-222).

6 Septembris 1958 — *Litt. Ap. « Merito dilaudatur » Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris decoratur ecclesia paroecialis Deo in honorem Sancti Georgii Martyris in urbe Victoria intra fines Gaudisiensis dioecesis consecrata. Non una vice immutatum ac refectum templum hoc, quod est principale illius urbis monumentum; nova accessione et pluribus ornamentis hisce temporibus est adauctum, christiana plebe in expensarum partem ultro veniente. S. Georgii autem ardens est apud fideles cultus, eiusque ope mala haud raro propelli potuerunt. Hisce de causis Episcopi Gaudiensis preces acceptae sunt.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 323-324).

1 Octobris 1958 — *Litt. Ap. « Expedit sane » Sanctus Iosephus Sponsus B. M. V., in Patronum principalem, et Sanctus Ioannes Ap. et Ev. in Patronum secundarium dioecesis Reconquistensis eliguntur. Non poterat nova dioecesis suis destitui coelestibus patronis, ipsorum enim adiutorio maiora incrementa comparant clientes fideles et a malis quae ingruunt validius defenduntur.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 221-222).

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII:

6 Martii 1959 — *Notificazione (relate ad revelationes cuiusdam religiosae foeminae quae appellabatur Faustina Kowalska).*

4 Aprilis 1959 — *Dubium, relate ad suffragia quae in publicis comitiis dari contingat iis partibus vel candidatis qui etsi catholicae doctrinae opposita non profiteantur, re tamen communistis sociantur.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 271-272).

17 Iunii 1959 — *Decretum. Proscriptio Librorum* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, p. 432).

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

3 Septembris 1958 — *Arassuahyensis. Decretum Declarationis Ecclesiae Cathedralis. Templum in honorem S. Iosephi et S. Theresiae hactenus dicatum inde vero S. Iosepho dicandum, dignitate et gradu ecclesiae cathedralis dioecesis Arassuahyensis gaudet.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 224-225).

6 Novembris 1958 — *Cameracensis — Atrebatensis. Decretum de mutatione finium dioecesium.* (*A.A.S.*, - 11 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 225-226).

28 Februarii 1959 — *Decretum de Sacrorum Liminum visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 272-274).

28 Februarii - 7 Iunii 1959 — *Provisio Ecclesiarum.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 433-434).

21 Aprilis 1959 — *Monacensis et Frisingensis — Augustanae Vindelicorum; Decretum de mutatione finium dioecesium.* (*A.A.S.*, - 22 Iunii 1959, vol. 51, pp. 434-435).

SACRA RITUUM CONGREGATIO:

20 Novembris 1958 — *Bergomensis — Decretum introductionis Causae pro Beatificatione Servi Dei Aloisii Palazzolo, sacerdotis, fundatoris Instituti Sororum vulgo « Delle Poverelle ». Mira sunt quae, Christi caritate urgente, eodem ferme tempore quo morbidae negationis asseclae in supernaturale saeviebant, et Ecclesiam contabescere conabantur, peregit Aloisius Palazzolo. Bergomi natus die 10 decembris anno 1827, a pia genitrice, mox patre defuncto, institutus est: in publico gymnasio primum, in dioecesano seminario postea studia perfecit: sacerdotio auctus est anno 1850. Pro pueris Oratorium condidit, quod suis item expensis, atriis amplificavit et ecclesia ditavit: piarum consociationum ac vespertinarum scholarum sedes cito evasit. Pro puellis anno 1864 scholas festivas prius in suis aedibus, postea in Oratorio Sanctae Dorotheae instituit. Qua ardebat erga miseros omne genus caritate, Institutum condidit Sororum a Sancta Dorothea, serius « Pauperculorum » nuncupatarum; nec orphanos, nec derelictos pueros neglexit quos in oppido « Torre Boldone » collegit curandos et instituendos. Obivit die 18 octobris 1886, sed opera ab eo instaurata mirabiliter promanarunt. Processibus ordinariis in Bergomensi Curia celebratis, postulationes plurimae ad Apostolicam*

Sedem remissae sunt: E.mi Patres Sacrae Rituum Congregationis in ordinariis comitiis die 15 Decembris 1953 censuerunt signandam esse Commissionem: quod Augustus Pontifex Ioannes XXIII benigne probavit. (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 277-278).

28 Januarii 1959 — *Parisiensis — Decretum reassumptionis Causae pro Canonizatione Beatae Mariae a Providentia, in saeculo Eugeniae Smet, virginis, fundatricis Instituti Sororum Auxiliatricum animarum in Purgatorio degentium. Sollemnibus Beatificationis anno 1957 Servae Dei tributis, ingens apud fideles universos subsecuta est veneratio et religionis augmentum. Quapropter plures Summo Pontifici admotae sunt praecationes ut Canonizationis Causa eiusdem Beatae posset reassumi. Dubio, die 27 januarii rite proposito, E.mi Patres responderunt: signandam esse Commissionem: quod SS.mus Dominus ratum habuit.* (*A.A.S.*, - 25 Aprilis 1959, vol. 51, pp. 277-288).

11 Martii 1959 — *Marianopolitana Decretum de miraculis pro Beatificatione venerabilis Servae Dei Mariae Margaritae Dufrost de Lajemmerais viduae D'Youville, Fundatricis et primae Antistitis Generalis Congregationis Sororum a Caritate. Placuit Deo humanam fragilitatem praeclaris exemplis roborare, mulieres ac viros suscitando qui virtutum exercitio praefulgerent. Quos inter referatur oportet Serva Dei Maria Margarita, quam virtutes heroice coluisse iam edixit Pius XII, b. m. Facta deinde miraculorum discussio. Porro, Sacra Rituum Congregatio duo insequentia probanda censuit. 1° Soror Anna Desrosiers quae anno 1900 vota nuncupaverat in ipsa societate a Serva Dei condita, morbo laborare coepit et quia tabe infecta in valetudinario fuit recepta ubi medici infaustum prognosim ediderunt. Die 21 octobris eiusdem anni 1900 Deum ferventius rogare voluit ut per Fundatrcis intercessionem, semetipsam sanaret. Quando in eo videbatur ut animam ageret die 31 octobris de repente sanata est. 2° Soror Ioanna Maria Deblois, eiusdem Congregationis oculorum perturbatione et aliis morbis laborabat. Mense januario 1928 coecitatem fere tulerat et medici contrariam prognosim fecerunt. Novendiales supplicationes ab universa religiosa familia ad Deum fusae sunt ut Fundatrice intercedente, infirma sanaretur. Reapse, die 8 februarii 1927 de improviso ad sanitatem restituta est. Dioecesanis processibus celebratis et favorabili dato voto in praeparatoria Congregatione, in Generali Consessu coram SS.mo habito propositis dubiis, suffragium adfirmativum tulerunt E.mi Patres: omnia autem rata habuit Summus Pontifex.* (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 328-331).

11 Martii 1959 — *Lucensis. Decretum de miraculis pro Beatificatione Venerabilis Servae Dei Helenae Guerra, Fundatricis Instituti Obla-*

tarum Spiritus Sancti, vulgo dicti Sororum a Sancta Zita. Eam Ecclesia dicit sanctitatem altarium honoribus dignam quae omnium virtutum exercitio comprobetur in gradu heroico, cui Deus Ipse miraculorum addit splendorem. De virtutibus autem Helenae Guerra, iam latum est decretum die 26 junii 1953; quod vero ad miracula spectat, actio instituta est circa insequentia: 1° Soror Bernarda Pratola anno 1948 in morbum incidit pharingitis chronicae azenatosae: quo in peius evolvente, vehementibus cruciatibus vexabatur. Venerabilem Helenam supplici prece infirma invocavit et die 18 iunii 1951, qui erat ultimus alterius novendialis supplicationis, repente sanata est. 2° Adelaides Diodati, vetula octoginta duorum annorum, in terram probalitur et atrocibus exagitatur doloribus: qui accurrunt, comperiunt alterum crus esse pendulum: medicus edicit Adelaidem suscepisse fracturam dexteri femoris extracapsularem, neque ullam spem foveri de restituenda sanitate. Ad intercessionem Helenae Guerra aegrota recurrit et postquam per tres hebdomadas Venerabilis opem imploraverat, die 16 amrtii 1951 artus exercitium, praeter rerum naturam, expeditum recuperavit. Celebratis quae statuuntur comitiis, Summus Pontifex edixit constare de duobus miraculis. (*A.A.S.*, - 16 Maii 1959, vol. 51, pp. 325-327).

INDEX GENERALIS

Vol. LXXXIV (1959)

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Sanctae Sedis

Constitutio Apostolica: Pontificium Institutum Pastorale in Urbe constituitur (Adn. AE. COLAGIOVANNI). . . . . Pag. 7

Sollemnis Allocutio Johannis PP. XXIII d. 25 Januarii 1959 (Adn. P. RAIMONDO SPIAZZI O. P.) . . . . . » 365

Litterae Apostolicae « Boni Pastoris » die 22 Februari 1959 (Adn. A. M. DESKUR) . . . . . » 547

S. S. Congregatio S. Officii

Dubium de suffragio iis, qui re communistis sociantur iisdemque favent. D. 4 Aprilis 1959. (Adn. P. RAIMONDO SPIAZZI O. P.). . . . . » 179

S. Congregatio Consistorialis

Decretum de sacrorum liminum visitatione a Vicariis Castrensibus peragenda (Adn. A. PUGLIESE). . . . . » 564

S. Congregatio Rituum

Declaratio circa dubium de forma paramentorum (Adn. S. MATTEI) » 38

S. Congregatio de Religiosis

Decretum de Religiosis servitio militari adstrictis (Adn. D. M. HUOT). . . . . » 577

Pontificia Commissio ad redigendum Codicem Juris Canonici Orientalis

Interpretatio authentica can. 215, § 2 (Adn. AE. HERMAN) . . » 42

IURISPRUDENTIA S. ROMANAE ROTAE
ROTAE MATRITENSIS ALIORUMQUE TRIBUNALIUM
ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota

Coram R. P. D. D. STAFFA, Ponente. NICEN. Nullitatis matrimonii (*De Conditione contra matrimonii substantiam*). Sententia definitiva diei 18 iulii 1958. . . . . Pag. 47

Coram R. P. D. P. MATTIOLI, Ponente. Nullitatis matrimonii (*De amentia in viro*). Sententia diei 2 decembris 1955. . . » 189

Coram R. P. D. J. M. PINNA, Ponente. Nullitatis sententiarum. (*Beneficium novae audientiae*). Sententia diei 28 novembris 1957 » 198

Coram R. P. D. P. MATTIOLI, Ponente. De nova causae propositione. (*Ex metu*). Sententia diei 13 maji 1953. . . . » 413

Coram R. P. D. P. MATTIOLI. Ponente. Nullitatis matrimoni (*De simulatione et metu reverentiali*). Sententia diei 27 febr. 1956. » 591

Coram R. P. D. P. MATTIOLI, Ponente. Nullitatis matrimonii (*De metu: eius effectus perduratio*). Sententia diei 23 jan. 1957. » 605

Coram R. P. D. B. FILIPIAK, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ex capite amentiae et ob simulationem consensus ex parte viri*). Sententia definitiva diei 14 febr. 1958. . . . . » 612

Coram R. P. D. A. SABATTANI, Ponente. Mediolan. Nullitatis matrimonii. (*Ex impotentia*). Sententia definitiva diei 10 apr. 1959. . . . . » 616

Vicariatus Urbis Tribunal Appellationis

CANZONERI, F. Nullitatis Matrimonii (*Ex capite raptus*). Sententia diei 30 novembris 1957. . . . . » 51

Rota Matritensis

Coram R. P. D. D. LOPEZ HUYALES, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ex metu*). Sententia diei 22 decembris 1956. . . » 211

Coram R. P. D. L. MIGUÉLEZ, Decano. Nullitatis matrimonii. (*Ex metu*). Sententia diei 26 martii 1955. . . . . » 425

Tribunal Appellationis Quebecen. Halifaxien.

Coram R. P. D. H. GRENIER, Ponente. Nullitatis matrimonii (*Ex capite defectus formae*). Sententia diei 18 aprilis 1959 . . » 246

STUDIA ET CONSULTATIONES

JULLIEN, A. Prolusione al Corso Accademico dello Studio Rotale (1858-185)9. . . . . Pag. 65

BENDER, L. Vicarius adiutor et potestas assistendi matrimoniis. » 79

DE SIMONE, O. De functione in Ecclesia honorariae praelaturae. » 85

ROMITA, F. Codex juris musicae sacrae. (A. D. 1958). . . » 251

BENDER, L. Usus facultatis dispensandi ad normam can. 1050 . » 313

DE SIMONE, O. De honoraria praelatura vicesimo incipiente saeculo. . . . . « 321

BENDER, L. Jus orientale et interpretatio cenonis 105 . . . » 453

VILLEGGIANTE, S. An proles adulterina jus seu legitimitatem habeat prosequendi causam nullitatis matrimonii in locum defuncti. . . . . » 467

DE SIMONE, O. Honorariae praelaturae instaurationis pianae momentum. . . . . » 489

SPIAZZI, R. I patti Lateranensi alla luce della dottrina dei rapporti tra Chiesa e Stato. . . . . » 637

BENDER, L. Filii legitimi. . . . . » 650

OESTERLE, G. De applicatione S. Sacrificii Missae pro achatolicis et excemunicatis. . . . . » 657

DE SIMONE, O. Honorariae praelaturae instauratione peracta. . » 671

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA. - Deliberatione: prove non ammesse nell'ordinamento positivo italiano. (Adn, G. L.). . . . . » 95

ITALIA. - R. A. Circa i Titoli di R. P. di piccolo taglio e gli enti ecclesiastici. . . . . » 333

ITALIA. - Legato a favore dell'anima (Adn. G. LENTI). . . » 505

ITALIA. - Sentenza del Tribunale di Roma 29 - 7 - 1959. (Adn. S. SPADARI). . . . . » 685

ITALIA - Massime dalle Sentenze della Suprema Corte di Cassazione. . . . . » 697

RECENSIONES

L'attività detla S. Sede nel 1958. (I. PARISELLA) . . . . » 704

BEGIN, R. F. Natural Law and positive Law. (COLAGIOVANNI, AE.). » 523

BANK, J. Connubia canonica (J. MARCONE) . . . . . » 707

BENUCCI, G. M. Gli istituti secolari nella nuova legislazione canonica (S. C.) . . . . . » 123

CAMPBELL, J. E Indulgences. (COLAGIOVANNI, AE) . . . » 349

CARRÈ, A. M. Celibi e nubili... dei falliti? (GREGNANIN, A.) . Pag. 522
COMBES, A. Le Saint Esprit dans notre vie spirituelle. (GREGNANIN, A.) . . . . . » 526
D'ERCOLE, G. Gesù legislatore e l'ordinamento giuridico della sua Chiesa nei Vangeli. (I. PARISELLA) . . . . . » 706
Dizionario Ecclesiastico. Torino, Utet, voll. 3 (MATTEUCCI, B) . » 115
ECHEVERRÍA, L. Exposición de conjunto de la actual bibliografía canónica. (BONET, M.) . . . . . » 526
FRATTIN, P. L. The matrimonial impediment of impotence. (COLAGIOVANNI, AE.) . . . . . » 525
GUILLET, J. Temi biblici (COLELLA, L.) . . . . . » 120
LEONI, A. Aggiornamento o processo di adeguamento degli Istituti religiosi femminili alle esigenze della società italiana. (PUGLIESE, A) . . . . . » 346
LIPSKI, J. De mandato Procuratoris in jure canonico. (COLAGIOVANNI, AE.) . . . . . » 122
LOPEZ, R. De probatione obitus alterius coniugis in ordine ad novum matrimonium ineundum (MARCHETTA, B.) . . . » 118
MCMANUS, F. R. The Congregation of Sacred Rites (COLAGIOVANNI AE.) . . . . . » 125
MASI, N. Legittima assenza ed esclaustrazione. (PUGLIESE, A.) . » 345
MAZZACANE, E. La «litis contestatio» nel processo canonico. (G. L.) . . . . . » 348
RETIF, A. Il messaggio della fede in Cristo. (A. GREGNANIN) . » 703
RETZBACH, A. Il diritto della Chiesa (BOCCALINI, E) . . . » 116
RODIMER, F. J. The canonical effects of infamy of fact. (COLAGIOVANNI, AE.) . . . . . » 350
ROSSI, G. F. Le origini del neotomismo nell'ambiente di studio del Collegio Alberoni. (MASI, R.) . . . . . » 341
SARTORI COSMAS. Iurisprudentiae ecclesiasticae elementa (ROMITA, F). . . . . » 121
SEUMOIS, A. L'anima dell'Apostolato Missionario. (PECORAIO, E.) » 521
TATARCZUK, V. A. Infamy of Law. (COLAGIOVANNI, AE) . . » 349
TIMOTHY MOCK. Disqualification of electors in ecclesiastical elections. (HESTON, E.) . . . . . » 524

DOCUMENTA

JOANNIS P. P. XXIII ALLOCUTIONES: I. Ad E.mos Cardinales, Ex.mos Archiepiscopos et Episcopos Americae Latinae in Consilio Episcopali tertio Romae coadunatos. . . . » 126
II. Pro initio Anni Academici Athenaei Lateranensis. . . » 133
S. E. Mons. NICODEMO, E. Sentire la Chiesa (Lettera Pastorale). » 137

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta Joannis PP. XXIII. - Acta SS. Congregationum. (SCOLA, A). . . . . » Pag. 159, 352, 529, 708.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS (Jus canonicum et ecclesiasticum) Fasc. I, II, III, IV.

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Largo S. Rocco, 1 (Tel. 675.786)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 1950